This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lm
13
50.5

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Lam 13.50.5

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

3, PLACE DE LA SORBONNE, PARIS
Librairie ALBERT SCHULZ
Importation en France
des livres et journaux étrangers
Exportation à l'Etranger
des livres et journaux français
des publications de tous pays
Achat de Bibliothèques

DE LATINITATE MARCELLI

IN LIBRO DE MEDICAMENTIS

DE LATINITATE MARCELLI

IN LIBRO DE MEDICAMENTIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI

PROPONEBAT

Samuel CHABERT

IN LYCEO GRATIANOPOLITANO PROFESSOR

ATQUE IN UNIVERSITATE GRATIANOPOLITANA COLLOQUIIS PRÆPOSITUS

PARISIIS

APUD LECÈNE, OUDIN ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

15, VIA DICTA DE CLUNY. 15

M DCCC XCVII

L.m 13.50.5

HARVARD COLLEGE
MAR 26 1906
LIBRARY.

Constantius fund

OPTIMO ET DOCTISSIMO VIRO

HENRICO GOELZER

STUDIIS GRAMMATICIS IN SCHOLA NORMALI PRÆPOSITO

Hoc reverentis gratique animi pignus

D. D. D.

S. CH.

PROŒMIUM

Quom proximos ante annos plurimi inter philologos litteratosque eruditissimi viri in scriptores latinos quinti vel sexti post Christum seculi maximum contulerint studium, aetatemque illam paene barbaram magno cum labore perspexerint ac summa cum felicitate illustrarint, pauci admodum latinitati Marcelli Burdigalensis, civis nostri, studuerunt, sive humilitatem viri, sive mediocritatem libri fastidientes, adeo ut integram, ut ita dicam, reliquerint adhuc materiam. Quae divesne fuerit an fructuum expers, inspicere quantum licuerit conabimur; ac nescio an novi aliquid protulisse visi fuerimus; tamen, antequam hujusmodi laborem aggrediamur, jam eos dicemus operum titulos auctorumque nomina quibus et saepe in his quaestionibus usi sumus, et majorem meriti partem, si qua in hocce libello infuerit, referre justum sit.

Ac primo, quam *Georgius Helmreich* libri *de Medicamentis* editionem [1] dedit, ea maximae fuit laborantibus nobis utilitati, utpote sagacissimi opus philologi, atque accuratissime perfectum ; cujus paginas lineasque in referendis locis constanter notavimus, vel plerumque

[1] *Marcelli de Medicamentis liber*. Lipsiae, M DCCC LXXXIX.

lectiones et correctiones assidue secuti sumus. Rara in hac enatant delicta, rarissimi, ut visum est, errores; ei nunc optimas, ut debeo, grates agam.

Nec paulo minus Glossario incubuimus, recens a D. *Henrico Goelzer* [1] in lucem edito; ne illas ei laudes jamdiu atque a melioribus actas conferamus, hoc tantum profitebimur diligentissimum omnium, quod ad Marcellum spectat, fuisse nobis ducem, saepissimeque laborem praestitisse facillimum.

His jam suo loco laudatis, ceteros tantum nominabimus:

Scribonii Largi compositiones [2], ed. G. Helmreich;

Plinius et Gargilius Martialis [3], ed. Rose;

Suidas [4], ed. Bernhardy;

Rose: *über die Medicina Plinii* [5];

E. Meyer, *Geschichte der Botanik* [6];

Grimm: *Ueber Marcellus Burdigalensis* [7]; *über die Marcellischen Formeln* [8];

Paulus Geyer: *de Gallicis Locutionibus in libro « de Medicamentis* [9] »; *de Sermone latino apud Gallos* [10];

R. Thurneysen: *de Reciprocitate apud Gallos* [11];

[1] *Nouveau Dictionnaire Latin-Français*. Paris, 1893.
[2] Lipsiae, in aed. Teubneri.
[3] Lipsiae, 1875.
[4] Halle, 1853.
[5] *Hermes*, t. VIII, p. 19 sqq.
[6] Potissimum 2, 305, quod ad herbarum nomina spectat.
[7] *Abhandlung Berliner Akademie*, 1847.
[8] *Ibid.*, 1855, p. 51-68.
[9] *Archiv. für Lateinische Lexicographie und Grammatik*, Leipzig, Acht. Jahrgang, Heft IV, p. 469, sqq.
[10] *Ibid.* Zweit. Jahrg., Heft I, p. 25-47.
[11] *Ibid.* Sieb. Jahrg., Heft IV, p. 523, sqq.

Henri Goelzer : *Etude sur la Latinité de saint Jérôme* [1].
Max Bonnet : *Le Latin de Grégoire de Tours* [2].
Gaston Boissier : *La fin du Paganisme* [3].

[1] Thèse, Paris, 1890.
[2] Thèse, Paris, 1884.
[3] Paris, 1892, 2 vol.

Scribebam Gratianopoli, pridie Kal. Nov. M DCCC XCVI.

DE LATINITATE MARCELLI

IN LIBRO *DE MEDICAMENTIS*

CAPUT I.

LIBER *de Medicamentis* EXTRINSECUS INSPICITUR.

Marcellus, quom semet *virum illustrem ex magistro officiorum Theodosii senis*[1] ipse appellaverit, addideritque paulo inferius *nonnullos etiam proximo tempore illustres honoribus viros, Siburium, Eutropium atque Ausonium, cives* esse *ac majores suos*, lectorem edocuisse videtur et tempus quo vixerit, et, ubi natus sit, locum. Namque quom Theodosium appellet *senem*, sequitur ut jam Theodosius junior imperium usurpaverit, quod anno post Ch. CDVIII adeptus est; recte igitur a Marcello *major* appellatus est Ausonius, Valentiniani imperatoris medicus, quom D. Magnus Ausonius poeta, medici filius, ipse Marcello major fuerit; tum, si reipsa civis Marcello fuit Ausonius, Burdigalae ille, sicuti hunc novimus vixisse, aut natus, aut saltem,

[1] Praefat. init.

quom libellum scriberet, versatus est, fuitque vere Burdigalensis. Quae quom ita sint, exquirere jam licet utrum scriptores Ciceronianae aetatis satis perfecte sit imitatus, Romanusque inter Romanos ut ita dicam merito habeatur, licet vitam paene inter Barbaros egerit ; — an potius, Gallicus et ipse, communem ut illis temporibus sermonem protulerit, corruptum scilicet, atque in dies labentem in deterius.

Illi nempe qui Galliam post devictos a Caesare Gallos incoluerunt sermone quasi dubio atque ancipiti utebantur : volentes enim latine loqui, Gallicam, non linguam, sed mentem, ingenium, sententias pristinumque cultum quadam ex parte servabant; Gallice cogitabant, dum Latine scribunt ; verborum mutationem — quod intellectu facile est — non adeo secuta est dicendi consuetudo. Etsi cultum Romanorum acceperant, haud ita redacti erant in servitutem ut victorum acciperent, non grammaticam solum et vocabula, sed stilum atque orationis tanquam ossa et medullam. Ita factum est ut Galliae captae paene intactum superfuerit Gallicum ingenium atque in Gallica terra floruerit diutissime Gallica vere, non Romana disciplina [1]. Quod si servitium sic effugerat in prosperis Romani imperii tempestatibus, quanto magis paulatim liberior in studiis Gallia facta est, ubi primum nutavit invicta illa potentia! Tum barbari undique irruebant; tum, propter calamitates temporum, periculosius rariusque inter Galliam Italiamque iter fiebat; tum decus ac laus

1. Cf. Gaston Boissier, *La Fin du Paganisme*, t. II, p. 51-52.

Romana jam evanescebat: quid multa? humanitas apud Lugdunenses et Burdigalenses in libertatem evocata quasi ab integro florebat; scriptores sive historici sive poetae veterum temporum elegantiam leporemque contendebant in lucem ipsi proferre.

Quod autem ad Marcellum spectat, adde quod Scribonium et pseudo-Plinium pluribus in locis imitatus est vel etiam transcripsit; porro alter Gajo et Claudio regnante scribebat, alter incertis temporibus, sed illum maxime secutus Plinium qui Nerone et Vespasiano principibus Naturalem Historiam composuit. Scilicet haud ita pridem divi Augusti seculum defluxerat, vigebatque in virorum mentibus praesertimque puerorum totus ille flos proximae aetatis; profecto, non adeo veteres erant omnes a Cicerone ad Horatium scriptores, quos non solum legerant et coluerant Neronis aequales, verum etiam carpserant acerbe et summa vi petiverant. Unde plerumque ex claris clarissimi, atque ex veteribus immortales illi facti sunt et constituti. Ceterum tantis disputationibus certaminibusque illi omnes abstinebant qui propter hoc solum scribebant, ut lectorem scientiam naturalium quaestionum docerent aut sapientiae prudentiaeque praeceptis commonerent. Parum cordi erat Plinio, quanquam ut illis temporibus eruditissimo, utrum longae producerentur an breviores corriperentur sententiae, vel uter Cicerone an Seneca dignior esset quem in scribendo sequeretur; neque in libro suo *de Historia Naturali* valde cogitabat ut illud famosum « esse videatur » clausulam orationi accurate imponeret an accerrime vituperaret. Non quod rudis esset aut

PROŒMIUM

Quom proximos ante annos plurimi inter philologos litteratosque eruditissimi viri in scriptores latinos quinti vel sexti post Christum seculi maximum contulerint studium, aetatemque illam paene barbaram magno cum labore perspexerint ac summa cum felicitate illustrarint, pauci admodum latinitati Marcelli Burdigalensis, civis nostri, studuerunt, sive humilitatem viri, sive mediocritatem libri fastidientes, adeo ut integram, ut ita dicam, reliquerint adhuc materiam. Quae divesne fuerit an fructuum expers, inspicere quantum licuerit conabimur; ac nescio an novi aliquid protulisse visi fuerimus; tamen, antequam hujusmodi laborem aggrediamur, jam eos dicemus operum titulos auctorumque nomina quibus et saepe in his quaestionibus usi sumus, et majorem meriti partem, si qua in hocce libello infuerit, referre justum sit.

Ac primo, quam *Georgius Helmreich* libri *de Medicamentis* editionem [1] dedit, ea maximae fuit laborantibus nobis utilitati, utpote sagacissimi opus philologi, atque accuratissime perfectum ; cujus paginas lineasque in referendis locis constanter notavimus, vel plerumque

[1] *Marcelli de Medicamentis liber*. Lipsiae, M DCCC LXXXIX.

studiorum expers; at, ut opinor, libri ejus materies, judice eo, formae longe praestabat. Scribebat ita, ut illi qui bene scripserant; loquebatur ita, ut illi qui pulchre tum loquebantur; partem in disputationibus istis sequebatur neutram.

Nec minus ita se Scribonius Largus in scribendo gesserat : qui, nihil in animo habens, nisi ut quam optimas utilissimasque medelas in adspectum produceret, non aliter libellum suum *de Medicamentorum Compositionibus* conscripsit, non aliter CCLXXI enumeravit remedia, non aliter tractandas res exposuit; ac necesse erat ut quam plurimi intellegerent; et, si qua ex parte Ciceronem imitatus est ac Livium, ad hoc tantummodo imitatus est, ut, quoad fieri posset, quamdiu illi, tamdiu ipse legeretur.

Ille autem, qui Medicinam Plinii scripsit — quem primus omnium imitatus est noster Marcellus, — Plinii Secundi locos plurimos sine ulla arte neque ingenio excerpserat. Verbi gratia, quod ita scripserat Plinius, 28, 56 : « *Mero ante somnos colluere ora propter halitus, frigida matutinis impari numero ad cavendos dentium dolores... certa exprimenda sunt,* » imitator sic reddidit, 1, 12 : « *Nero* (*!*) *ante somnos colluere ora propter halitus frigida utile dicit.* » Nec medicus fuit, at medicis maxime infensus : « *Frequenter mihi in peregrinationibus accidit ut aut propter meam aut propter meorum infirmitates varias fraude medicorum experiscerer quibusdam vilissima remedia ingentibus pretiis vendentibus, aliis ea quae curare nesciebant cupiditatis causa suscipientibus... Quapropter necessarium mihi visum est ut undique valetudinis auxilia con-*

traherem et velut breviario colligerem, ut quocumque venissem possem ejusmodi insidias vitare... » Cujus praefationem quadam ex parte, duosque primos libros Marcellus saepe est imitatus, ordinem secutus et sententias et verba ipsa faciens sua. Ceterum hunc pro Plinio altero in praefatione accepit: « *Plinius uterque* », quom libello *Medicina Plinii* titulus praeesset. Quod autem ad Apulejum, vel potius Pseudo-Apulejum spectat, cujus nomen juxta *utrumque Plinium* inscriptum est, Marcellum ante hunc scripsisse plane constat [1], librumque *de Herbarum virtutibus* non Marcello, sed Isidoro profuisse; immo nescio an Pseudo-Apulejo Marcellus ipse maximae fuerit utilitati.

Hos quom Marcellus admodum, ut fatetur, studiosos homines *assidue secutus* esset, quid ab eo fieri posset, nisi ut, multo magis quam ceteri tunc Galli, eum potissimum sermonem imitaretur, quo Scribonius usus erat ac *Plinius uterque?* Quod nisi tentavisset, videsne quam varius atque impurus litteratis visus fuisset liber *de Medicamentis?* Videsne quanta ante omnium oculos eluceret sermonum verborumque unius atque ejusdem operis discrepatio? — At enim, quid eorum referebat, quorum gratia librum composuit, ut bene hic scriberetur? Namque filios admonet ut hunc *cum omnibus infirmis, amicis, notis ignotisque* communicent, *immo vero cum advenis magis et pauperculis* [2]. Nonne hisce verbis probe significat utilitatem a se virtutibus ceteris anteferri? Nonne addit se versiculis infima operis parte

[1] Rose, *Hermes*, t. VIII, p. 18, sqq.
[2] Praefat. init.

collocatis lectorem pellici et conciliari voluisse, quod, si locum satis intelleximus, Marcellum nullis fere aliis illecebris studuisse demonstrat? Nonne, quom de *Sollertia diligentiaque* sua verba fecit, hoc solummodo significavit, scilicet a se cum magna cura et labore *remedia undeunde* esse *collecta?* Et, quom cuncta a se collecta *in unum corpus quasi disjecta et lacera Æsculapius Virbi membra* composuit, num intelligendum est haec eleganter atque ornate aut saltem ordine certo esse conscripta? Minime vero; sed, ante quam ea quae ad stilum spectant describere aggrediamur, de libro ipso et auctore quid certum sit exponamus.

Marcellus, quem jam anno fere CDX post Christum scripsisse et Burdigalae plurimam vitae partem egisse ostendimus, quom ceteri nullum de ipso sermonem fecerint[1], haud magis de se ipse nos fecit certiores; rarissime e scriptis ejus aliquid potest percipi, quod ad vitam vel mores ejus pertineat. Composito libro *de Medicamentis*, apparet Marcellum otiosum esse et pecunia satis praeditum: nam sibi titulum *ex magistro officiorum Theodosi senis* vindicat, et *pauperculos* nominare videtur quasi ipse nullo modo esset pauperculus. Ceterum semel de pretio remediorum in libro ejus agitur, et brevissime : « *Mirificum remedium, nec impendio sumptuosum*[2]. » Tum, verisimiliter ab institutione medicinae alienus est, qui non solum opera virorum non medi-

[1] Nisi forte patrem habuit Marcellum, grammaticum, si Ausonii *de professoribus Burdigalensibus commemorationi* credendum est, mediocris doctrinae, multorum tamen auditorum amplarumque per uxorem divitiarum.

[2] P. 372, 24.

corum secutus et exemplum imitatus est, sed ab agrestibus remedia *fortuita* didicit et accepit ; ideoque non de arte sua scribebat, nec medicando rem acquirebat. Denique, etiamsi se non medicum fuisse taceret, non medicis, etiam christianis, consuetudo est *beneficia scientiae vice mutua caritatis humanae cum omnibus notis ignotisque, immo vero cum advenis magis et pauperculis communicandi*. Ita Marcellus nullam ab *institutione medicinae* pecuniam petebat ; quomodo igitur scribere potuit in cap. xx, p. 207, 2 : « *Et, quom dederis* (*remedium*), *accipies mercedis quodcumque ; multi etiam, qui cito curati sunt, ingrati exstiterunt ; propter quod ipsum antidotum* acharistum *appellatur ?* » At illo in loco verisimiliter tantummodo verbum *acharistum* est commentatus ; atque, quom in cap. xxvii, p. 288, 2, hoc asserit : « *Eam (lanuginem) desperatis jam dysinteris potui dedi, mirantibusque compluribus saepissime de abrupto periculo liberavi,* » quid nobis opinandum est, nisi, quod Marcellus filiis erga ceteros homines suasit, hoc ab ipso jam saepissime nec sine quadam felicitate actum esse ? Hanc omnem remediorum doctrinam quo pacto perceperit, ipse nos, non in praefatione sola, sed et in opere ipso edocet : « *Si quid... vel ab aliis comperi, vel ipse usu approbavi vel legendo cognovi.* » In praefat.

« *Quod ab experto scriptum et proditum est* », p. 96, 14.

« *Ego ipse diu vexatus auris taedio, quom multis frustra usus essem medicamentis, ab hoc sum persanatus et alios complures sanavi,* » p. 96,29.

« *Deinde ex his fiunt pastilli den. singulorum, quamvis*

auctor *dicat se pastillis usum etiam ad denarii semissem cum vini supra dicti cyatho,* » p. 274,17.

« *Salubre esse* auctor *remedii hujus affirmat si...* » p. 380, 5.

« *Hoc expertum esse legi,* » p. 351,23.

Otiosus certe erat et eruditus : quod facile intelligi possit, si revera ille Marcelli ab Ausonio laudati filius esset, divitis et grammatici. Sed tum satis erat Burdigalae placidam agere vitam inter doctissimos scholae professores, Minervium oratorem, Alethium, Luciolum, Delphidium rhetores, latinos et graecos, grammaticos Citarium, Agricium, Nepotianum, facetos homines et veterum litterarum minime rudes; an memorem Ausonium, melioris aetatis dignum poetam, qui versibus Galliae totius amnes, civitates, viros illustravit, sed in primis Burdigalenses suos seu cives seu magistros seu collegas in Schola laudavit? Adde et temporum ante annum post Ch. CDVI miram in hac imperii parte pacem et tranquillitatem, prosperas domi res, foris haud ita, Theodosio regnante, infelices, magnam in provinciis libertatem, regionis leporem, amicorum societatem dulcissimam, immo, progrediente Christi doctrina, mutuum crescentem amorem, mutuam concordiam, summam generis humani caritatem. Quis unquam Marcello fuisset otiosior, vel quis ad scribendum per otium aptior? Barbaros imminentes percepisse non videtur, verius dicam de barbaris imminentibus parvam illi, quippe christiano, fuisse curam; quae legerat, compererat, usu probaverat, ea spe utilitatis descripsit: quomodo descripserit exquirere jam licet, atque antea,

quibus in opere adjumentis ex codicibus, ex auctoribus ejus, ex ipso stilo, uti nobis liceat.

Codice uno liber Marcelli ad aetatem nostram pervenit, nunc *Laudunensi* 420 cognominato, propterea quod in Laudunensi bibliotheca repertus est atque adhuc permansit. Hic decimo fere post Ch. saeculo scriptus in pergaminea charta ab Rose, *Hermes*, VIII, p. 30 sqq., diligentissime depictus est; neque immerito, qui non solum unicus temporum iniquitati superfuerit, at optime pulcherrimeque scriptus sit. Haud quidem integer evasit; deest primus seu ternio seu quaternio, nec non et ultimi duo quaterniones, adeo ut neque initium nec finis libri in codice remanserit; desunt quoque quaterniones V, VIII, XXII, XXXIV, XXXV, terniones XVII et XVIII. Quin, post amissos quaterniones superius dictos et terniones, rasuris vitiati sunt superstitum quaternionum numeri, sed ita ut pristini numeri haud difficilius possint perlegi. Supersunt hodierna die quaterniones XXII, terniones III; exsectum est quaternionis XXVI folium ultimum. Quom ita corruptus et obtruncatus sit Laudunensis codex, qui, secundum Rose atque Helmreich, plane dignus esse videtur qui fidem obtineat, quo modo cetera nobis servata sunt?

Fuit, anno post Ch. MDXXXVIII, primum typis mandatus liber *de Medicamentis* Basileae per Janum Cornarium, plane integer; quibus usus sit codicibus, incertum; immo utrum legerit Laudunensem annon, disputatur. Nam quibus probatur indiciis Cornarium uno tantum codice usum esse? Verisimile non est, ait Helmreich: quid ita? nonne poterat codex ille quem

typis transcripsit quadam ex parte fuisse deminutus, ita ut necessitate ad legendum codicem alterum Cornarius coactus fuerit? Plurimos fateor tunc eruditissimos homines editionem principem dedisse ex uno, et illo minime exquisito, codice; judicis acumen, cura, sanum studium festinationi cedebant nonnunquam; properabant potius quam studebant, libroque sic et publicato et in aeternum servato, codices interdum peribant, ut Vellei Terentianique Mauri, postquam alter Basileae anno p. Ch. MDXX, alter Mediolani anno MCDXCVII typis mandati sunt; quin et in typographi ipsius officina seu forte seu neglegentia saepissime peribant. Quod si Cornarius ipse unum tum perlegit codicem, hunc Laudunensem non fuisse, licet haud ita duo codices inter se differant, plane constat; quandoquidem quaedam a Cornario inserta sunt vocabula quae in Laudunensi codice desunt, ut:

Cap. II, 13. « *Luna septima* ⟨et septima⟩ *decima et vicensima septima ;* »

Cap. VII, 18. « *Ceræ* ⟨rufae⟩ *part. XII ;* »

Ibid. 19. « *Picem Bruttiam* ⟨tritam⟩ *mittes ;* »

Ibid. 22. « *Nervorum quoque incisiones* ⟨vel collisiones⟩ *salubriter curat ;* »

Cap. VIII, 199. « ⟨aeris usti den. S⟩ ; »

Cap. XV, 60. « Sententia tota ex Plinio transcripta in editione principe deest : ⟨ungularum equinarum exustarum cinis cum oleo impositus vel illitus strumis medetur⟩ ; »

Cap. XXVI, 107. « *adjicies mellis quartarium et* ⟨fœni

graeci bene mundati et loti quartarium et⟩ *zingiberis uncias ;* »

Cap. xxvii, 52, « *Frumenti tosti grana impari numero, similiter* ⟨hordei⟩ *et pisae ;* »

Ibid. 117. « *Addat vini cyathos tres et* ⟨aquae anethinae cyathos tres et⟩ *coagitatam, etc. ;* »

Ibid. 133. « *Piper* ⟨ex vino⟩ *;* »

Cap. xxix, 11, in longissima remediorum pagina : « *Agarici den.* IIII, ⟨sagapeni den. X, gummis den. IIII, Artemisiae suci den. IIII⟩. »

Haec omnia quom addiderit, Cornarius profecto alio ac Laudunensi codice usus est, et, quom tam parvae sint diversitates, hoc parum a Laudunensi distante : ita ut ille codex, quem transcripsit, ab archetypo antiquiore quam Laudunensis fuit genitus sit, sed eodem et Laudunensis archetypo communi.

At plura Laudunensis exhibet quae in editione Cornarii defuerunt :

Cap. xxvi, 94 : « *pulei* — I, apii [seminis — I, petrosilini Macedonici — I,] *seminis olisatri* — I ; » sed, in clausula capitis xxviii atque ineunte capite xxix, xiii loci desiderantur, ita ut inter lacunam unus tamen locus, scilicet xxix, 4, e Scribonio translatus superfuerit. Quae et a codice ipso et a sententia loci haud difficillime intelliguntur ; namque, — et in codice a Cornario transcripto ternio deesse poterat vel quaternio vel potius ternio dimidius, quom editionis ab Helmreicho curatae x paginas habeat ternio unus, hic v tantummodo paginae desiderentur; nisi forte codicis ejusdem nunc amissi terniones v tantummodo paginas

editionis reciperent ; — et de iisdem rebus fere agitur, scilicet *de colo, sive inflatis ruptisque visceribus*, Cornariusque a capite xxviii, 50, caput xxix incepit. Adde quod discrepant inter se in integra editione locus 1 capitis xxix a Scribonio translatus, et locus 11 a Marcello ipso descriptus ; alter enim haec habet :

1 (Scrib.) : « *Benefacit ad ileon quod vitium est inflatio* tenuium *intestinorum,* »

alter :

11 (Marc.) : *Sanat et inflationes periculosas* omnium vel plurimorum *intestinorum, quem morbum Graeci ileon appellant.* »

Profecto, duo illi codices, scilicet Laudunensis et ille quo Cornarius usus est ab uno eodemque archetypo geniti sunt, qui tam parvis differentiis inter se discrepant ; alii in aliis codicibus loci aut remanserunt aut temporum iniquitate perierunt, sed in neutro codice omnes fere sunt ab altero mutati. Non a Laudunensi transcriptus est codex Cornarii, neque ab codice Cornarii Laudunensis : hoc certo constat. Unus autem utrique verisimiliter fons exstitit. Quare fit ut librum Marcelli quam integerrimum fortasse habeamus ; namque, ut videtur, liber ille paucis in manibus versatus, quom et ipse Suidas illum μάγιστρον Ἀρκαδίου τοῦ βασιλέως, κόσμον ἀρετῆς ἁπάσης, non et *scriptorem* appellet [1], raro videlicet est transcriptus ; quidquid id est, duo nobis cogniti fontes inter se tam parvis differentiis

[1] II, p. 702, Bnh.

diversi sunt, ut de orthographia et materia ipsa parum liceat disserere.

Namque in his rebus maxime videtur singularis, scilicet in scribendis vocibus e graeco sermone translatis, servandaque in vocibus potissimum ineuntibus littera H, vel post G vocali U, vel ante S consonanti N, atque in pronuntianda I prae vocali altera in voce eadem; cetera parvi erunt momenti.

De Graecis vocibus hoc primum animadvertimus, rarissime, in Laudunensi quidem, usum Graecarum litterarum esse factum : tantummodo in formulis, atque his profecto rarissimis. Sed litterae litteris quoad fieri potest transcribuntur : θ in *th*, φ in *ph*, ου in *u*, υ in *y*, ω in *o*, κ in *c*, χ in *ch*; verbi gratia, p. 55, pass.:

sphagnu,	*ges*,	*aloes*,
poliu,	*ge*,	*chamaedryos*,
gagatu,	*chalcu*,	*miltu*,
propoleos,	*cecaumenu*,	*gen*, etc.
ceratitis (p. 275, 32),		

Interdum H non scribitur : *calcu*; quo, si necesse foret, etiam hoc probaretur, Graecos ου, Latinosque *u* in his quidem temporibus pariter pronuntiasse; graeca vero nomina nunc graece, nunc latine declinantur[1]. Ceterum H plerumque ineuntibus vocibus omittitur, ut :

umigare,	*ypersarcosis*,
umor,	*ypochysis*,
umorosus,	

quo et hoc probari videtur tum à Graecis asperum spiritum non jam esse pronuntiatum ; saepe

[1] Cf. p. 62, sqq.

φ graecum in vocibus magis usitatis per *f* traducitur, ut :

sfondylion,		*sulphur,*
sfaera,	*flegma,*	*sulfur,*
sfongea [1],	*nefriticum,*	*sulpur,*
frenesis,	*colofonium,*	*pentafyllos* [2],

variata variatis locis scriptura; *Afronitrum* quoque et *aphronitrum*, cujus nescio an prior scriptura ab etymologia *afer* defluxerit.

Jam confunduntur inter se *g* et *gu*, nimirum quia *g* paulatim pronuntiatione dulcior fiebat et mollior, addendumque erat quo rectius pronuntiaretur adjumenti aliquid, scilicet *u*, quod nos nunc etiam eamdem ob causam servavimus; item, post *c*, *u* ponimus:

colligere, *cueillir.*
p. 313, 6 : *cumque dolor colici alicujus* urguebit ;

sed mox, immo statim, *praecinges*. Saepius pro *ungendo*, ab *ungeo* vel *ungo*, ponitur aut *unguēre*, aut *unguĕre* :

p. 65, 18 ; 90, 5 : *inungues ;* 65, 17 : *inunges ;*
p. 74, 15 : *inunguito ;* 74, 27 : id. ; 74, 9 : *inunge ;*
p. 130, 25 : (Scr.) *perungi ;* 52, 30 : *unguas ;* 90, 5 : *inungues*
109, 23 : *perunguendae.*

Quod saepius accidit quom secundam declinationem sequitur verbum. Ipsi quidem dubitaverant priores latini scriptores, qui etsi *unguentum* semper scribebant, *inungi* tamen recipiebant :

Horat. *Ep.* I, 1, 29 : *contemnas lippus inungi.*

[1] N. B. *f* pro *p*, etsi σπογγιά graece scribebatur ; tamen attice σφογγιά, Aristph., *Ran.* 482.
[2] P. 252, 32 ; sed, p. 55, 15. *pentafolium.*

Verbum *tundere* et composita in participiis vicissim servant aut amittunt *n* ante *s*[1] positam ; sic :

p. 51, 13 ; 91, 35 : *tunsa ;*	*contusa*, p. 67, 10 ;
p. 295, 29 : *contunsi ;*	*contusi*, p. 95, 32 ;
p. 105, 19 : *obtunsae ;*	*contusae*, p. 31, 31 ;
p. 101, 22 : *obtunsior.*	*contusas*, p. 53, 27.

Num scriptura cum *n* remanserat multo post quam desiit hanc vulgus pronuntiare, ita ut Marcellus modo scripturae, modo pronuntiationi temporis sui se accommodaverit ? Fieri potuit, eo magis quod in multis vocabulis *n*, jam dudum in sermone obliteratum, semper in codicibus scriptum visum fuerit, v. g. : *quotiens*, *formonsus*, *tensaurus*, etc. Contra in nominativo scripta est *hiemps*, p. 57, 29, ubi, per *p, m* servatur ; cf. gallice : *dompter.*

De *I* Gallico nos edocuit Isidorus Hispaliensis, quo pacto medium inter I et E pronuntiaretur ; itaque saepe Marcellus videtur duarum illarum vocalium alteram pro altera scripsisse :

ciconea,	gallinacius,	pleuriticus,
cocleare,	glycea,	robius (cf. p. 48),
coclea,	interaneus,	scabillum,
cydoneus,	irenaceus,	spleniticus,
doleolum,	marmorius [2],	sfongea (cf. p. 14),
dulcido,	oscido [3] (p. 115, 18),	tinea,
fascea,	personacea (cf. p. 46),	tineosus (cf. p. 50).

[1] Sola vox *vessica*, passim pro *vesica*, duas *s* recipit, ut gallice, ad firmandum servandumque litterae *s* sonum. Sic solus scripsit Marcellus.

[2] ἅπαξ, excepta inscr. Garrucci, *dei segni vulgar. accenti*, p. 12 « *tituli marmorii* », p. 275, 8.

[3] ἅπαξ ; cum *c* Serenus Samm., 14, 216, regnante Caracalla ; descripsit Isidorus, 4 *Orig.* 8 : « *Oscedo est, etc.* »

Ita Graeci jam η sicut ι pronuntiabant, necnon β sicut V, ut testis est idem Isidorus Gallos *proabus* dixisse pro *proavus*. Num et istud vitium laudi duxerit Hieronymus, scilicet gracilem sonum I in graviorem sonum E mutatum, quom ita, ep. 125, scripsit ad Rusticum : « *Ut ubertatem Gallici nitoremque sermonis gravitas Romana condiret,* » vel, ep. 58 ad Paulinum : « *Hilarius Gallico cothurno attollitur ?* »

Adde quod in Laudunensi codice consonantes plerumque non assimilantur [1] : *inlitus*, *adrorare*, *adludere*, etc. Cetera parvi sunt [2].

Quod si nunc ad librum ipsum veniamus, sic compositus esse a Marcello videtur : capita XXXVI, amplitudine disparia, quom caput VIII *ad omnes et multiplices oculorum dolores collyria* CCXIX habeat capitula, caput XX *ad omnia stomachi vitia et dolores*, CXLIX, caput autem III *ad vertiginem capitis*, X, caput XXIV *pleuriticis et laterum doloribus*, XIII, caput V *ad capitis reumata* XX tantum capitula receperit. Addidit et LXXVIII in fine versus, prosodiae in graecis nominibus incertae, ut, si ipsi credatur, ludendo seria concluserit. Remediorum in hoc libro genera duo exstiterunt : verbi gratia cap. XVIII atque aliis plurimis haec in titulo praeposita sunt: « humerorum... doloribus... remedia *rationabilia* et *physica* diversa de experimentis... » Quid hoc sibi vult

[1] Similiter servatur A in verbis *conspargere* (p. 115, 27 ; 246, 32), *dispargere* (p. 340, 2), *inspargere* (p. 275, 5), *superspargere* (p. 323, 20) ; namque eae voces, quae dissolutae iterum vulgo componuntur, simpliciter plerumque componuntur.

[2] Hoc tamen notemus jam *percriblare* (p. 313, 10, etc.) pro *percribrare* scriptum esse, sicut gallice : *crible* a *cribro* ; R et L in Gallia facile inter se confunduntur ; cf. contra : *epistre* ab *epistula*.

« rationabilia » ? Quid « physica » ? Haec ea designant quae nunc medici vocant remedia; illa autem carmina, formulas, « verba et voces » ut Horatius ait [1], superstitionibus omni genere infectos,

« Quibus hunc lenire dolorem
« Possis, et magnam morbi deponere partem. »

Ita, cap. XXI, 8, p. 221 : « Adversus cordis pulsum et dolorem *mirum* remedium, quod in lamella stagnea scribes : Καρυανκω Καρυανκων Καρυανκων et phylacterium de storace subfumigabis et in collo ex licio suspendes ; *ita proderit ut stupeas.* » Et cap. XXXIII, 69, p. 347 : « Si quem voles per noctem cum femina coire non posse, pistillum coronatum *sub lectu illius* pone. » Et, cap. x, 70, p. 112 : « Scribes et in charta virgine et collo suspendes lino rudi ligatum tribus nodis ei qui profluvio sanguinis laborat : ψαψεψηψεψηψαψε. » Hisne rebus significatur Marcellum pauperis ingenii superstitionibus deditum esse stultissimis ? an, quom esset medicinalium rerum plane rudis, intelligere eum non potuisse quam ridicula essent atque inania haec remedia? an, quom amore in proximos secundum Christi praecepta flagraret, hoc maxime curasse ut quam plurima aegris afferrentur solatia, salutisque viae quam plurimae ? Verum enim vero acumen judicis in eo fere nullum infuit [2]. Crederes, si librum accurate perle-

[1] Horat. Ep. 1, 1, 34-35.
[2] Mirum hoc, p. 190, cap. XXV, 13, a Scribonio excerpsit : « *Sed, disposuimus in ejusmodi rebus potentiorem usus rationem sequi,* » id est, rationabilibus in medicina remediis admodum uti : eum talia fateri non puduit ! Et, p. 255, in cap. XXVI, 10 : « *qui contundit,*

gisses, hoc praecipue Marcello cordi fuisse, ut curiose remediorum numerum maximum, librum quam grandissimum collegerit. Mire laboravit ac sudavit ille Grimmius [1] qui formulis istis sensum vel significationem quandam reperire conatus est.

Ex 2530 capitulis ex quibus secundum Cornarii editionem constant ad summam illa 36 capita, 484 simpliciter ex Plinii libris aut Scribonii transcripta sunt, hoc est Scribonii 192, Plinii vero 292, sed utriusque loci amplitudine tota fere aequi sunt, quom capitula Scribonii capitulis Plinii amplitudine longe praestent. Ergo recepit libri pars fere quarta locos aliunde transcriptos, ex Plinio pariter et Scribonio. Notandum est in plurimis capitibus initium a Scribonio praebitum esse; quod saepe, praesertim in cap. xx et xxix longissimum est. Plinii vero sententiae brevissimae sunt, raro ineunte, saepius fere terminato capiti insertae. Hoc autem quaeri haud supervacuum est utrum Marcellus ipse volens haec omnia operi suo inseruerit, an postea lector otiosus ille, a quo persaepe codices paulatim sunt adulterati, haec sive libro Marcelli in margine conferenda addiderit, sive capitibus ipsis quod ad Scribonium pertinet, ad complendum aut augendum gravi quadam auctoritate librum praeposuerit. Quod ut certo sciamus magni est momenti : nam, quom simili, ut ita dicam, stilo Marcellum Pliniumque et Scribonium scripsisse

annulum ferreum non habeat : hanc enim superstitionem adjicit Ambrosius... » Superstitionem hanc levem increpat hic Marcellus ipse, cum idem alibi tot et tantas praedicaverit.

[1] Grimm, *über die Marcellischen Formeln*, Abhandlung Berliner Akademie, 1855. p. 51-68.

constiterit, si conscius fuit insertorum locorum, multum sudaverit, nec frustra omnino, ad imitandum temporum meliorum sermonem atque elegantiam; sin autem imprudente illo haec inserta sunt, putandum est Burdigalae in istis temporibus haud ita litteras sermonemque degenerasse; adeo ut scriptor quarti post Ch. seculi cum scriptoribus, tribus ante seculis, laudatis confundi facile sit. Quod certum est, sic facilius exquiretur quoad sermo litteratorum Theodosio regnante a sermone Vespasiani vel etiam Claudii Caesaris distaret.

Profecto, ne extemplo ostendamus Marcellum parum curavisse utrum eleganter scriberet an rustice, plurimis in locis dubitandum esse videtur ne Marcellus ipse Scribonium, ut apparet ex codice, transcripserit. Nusquam quidem Scribonius nominatus est, quom interim expresse Plinius uterque, id est Plinius major ac Pseudo-Plinius, designantur; sed ille per « *alios nonnullos* » intelligi potuit, eo fortasse magis quod minore prae ceteris fama uteretur. Sed, cap. VIII *ad omnes et multiplices oculorum dolores*, 17, p. 64, ita Scribonii locus transcribitur : « *Non autem praeterit me habere* te *prudentes ocularios, quibus si nomina* dixeris, etc. » Porro *filiis* suis Marcellus librum scripsit. Cur et quomodo potuit ille transcribi locus ita ad Scribonium ipsum attinens, ut unus, non plures, designatus sit, ad quem liber sit dedicatus? Vidimus jam antea duas *ilei* definitiones admodum inter se fuisse diversas, cap. XXVIII et XXIX; ineunte autem cap. XXX, p. 315, a Scribonio non remedia solum, sed et transitionem mutuatur, licet nulla unquam ex parte ipse transitionibus usus sit :

« *Quoniam interdum res postulat et per alvum detrahere materiam omnis humoris... itaque non tam alienum judicavimus horum quoque genera exponere, sed prius dicemus quae alvum mediocriter molliant*, etc. — Ineunte cap. xx, p. 187, narrans Scribonius unde natum remedium quoddam sit, quoque modo id ipse cognoverit, prorsus transcribitur : «... *Post mortem Ti. Caesari per libellum scriptum data est, et per eum in bibliothecis publicis posita venit in manus nostras, quam ante nullo modo extrahere potuimus, quamvis omnia fecerimus ut sciremus quae esset.* » Item, quom saepissime centaureum succum nominaverit, haec iu cap. xxxi *ad ani vitia* diligenter Scribonium sequens exponit : « *Centaurei suci den. II haec herba Latine fel terrae dicitur et ubique in agris nascitur; est autem tenuis multorum ramorum in rectum surgentium, habet florem exiguum purpureum* —, *absinthi suci den. II*, etc. » Denique cap. xxxv, 9, p. 361, haec ab eodem Scribonio transcribit : « *Harum compositionum, si qua fides est, et ipse ego utilia remedia expertus sum, et alios idem sensisse confirmo ; nam et illud adjicio*, etc. » Mira est haec diligentia, vel potius, ut videtur, ineptissima. Sed adeo male dispositus est liber, ut Marcellus ipse locos communes non ineunti nec jam peracto libro addiderit, sed quasi fortuito disseminaverit huc atque illuc: confer in p. 308, cap. xxix, 15 : « *et in doliolo vitreo condetur sub signaculo habendum*, sicut usquequaque haberi debent universa medicamina. » Quid mirum est quod nec opinanti lectori centaureum herbam paene in fine libri primum descripserit, neque illa ex parte sententiam emendaverit ?

Namque sine ordine congeruntur cujusque generis remedia, medicorum potiones cum absurdissimis vatum carminibus, ridicula praecepta cum prudentissimis consiliis, empirichorum rusticorumque medicamina cum sapientissimi cujusque antidotis ; simplicia cum doctissimis, *rationabilia* cum *physicis*, omnia *permixta sunt et diligentissime contrita*, ut saepissime dixit ipse de speciebus a se commendatis. Quin, in cap. xx *ad omnia stomachi vitia* duas epithematum compositiones imprudenter bis notavit : quae in capitul. 102 et 103, 146 et 147 legi possunt. Neque *interpolatore* opus est, quo haec vel iterata vel variata verba explanentur, ut arbitratur Helmreich ; scilicet in cap. xxxiv, 6m iterum conscius scribit quae jam cap. xxv, 21 laudaverat ; duoque, loci forte bis repetiti, pariter ac loci ex consulto iterum dati, et similes plurimis verbis, et paucissimis dissimiles sunt : « *Invictam potionem... plenissime scripsimus, sed quoniam tam divinus ejus effectus est, iterandam putavi, ne quis arthriticis remedia requirens hujus ignoratione fallatur.* » Hoc solum est exemplum quo Marcellus aliqua ex parte capitis alterius memoriam servasse videatur ; ceterum omnia congerit, aggerat, coacervatim colligit atque enumerat, tantummodo partium corporis a capite ad pedes ordinem observans [1]. Sed et in capitum tenore non ita vitiis caret : doloribus humerorum dolores cordis antepositi sunt, remedia tineis et lendibus in iv capite data mox in vi complen-

[1] Ita observaverat jam Plinius Secundus, 25, 132 : « *Verum et generatim* membratimque *singulis corporum morbis remedia subteximus orsi a capite.* »

tur. Facile fateor equidem in longis capitum titulis reperiri posse id quo cuique opus sit ; at in longa remediorum pagina omnia pariter prolata sunt pariterque commendata, adeo ut, sicut nulla fuit junctura, ita nullus ordo appareat.

Quo igitur pacto se cum meliorum temporum elocutione — forte aut consulto — accommodaverit, infra confirmare, quoad poterimus, conabimur; jam hoc libenter asseruerimus, non ita discrepare quae scripsit ipse, cum iis locis quos mutuatus est ab antiquioribus, nec sententiarum dispositione, nec declinatione verborum aut nominum, nec totius libri ordine. Illos quantum potuit secutus est. Tamen nonnulla in libro *de Medicamentis* reperias quae Marcellum et Gallum et Christianum, et IV p. Chr. saeculi virum expresse denuntient.

Christianum fuisse Marcellum plurima demonstrant indicia: primum, si revera magister officiorum Theodosii Magni fuerat, non dubitandum est quin novam secutus sit religionem; namque et maxime fuit princeps ille in paganos infensus ; et in cod. Theod. VI, 29, 8, XVI, 15, 29, publice commissus est Marcellus off. mag.[1] ad « pugnandum persequendumque veteris religionis fidos sectatores. » Tum in praefatione haec satis clara sunt : « ...*Filii dulcissimi, pro necessitate infirmitatis humanae piissimum duxi, orans primum* divinam misericordiam *ne vobis vestrisque experiendi hujus libelli necessitas*

[1] Praeerat Magister Officiorum *scolaribus* vel custodibus palatii, CXLVIII *scribis*, plurimisque *agentibus in rebus*, qui epistulas vel leges imperatorum in provincias deferebant. Huic titulus erat *illustris*, partesque easdem agebat, quas apud nos illi qui *cancellarii* dicuntur. Cf. *Notitiam dignitatum et administrationum omnium*, etc.

ulla nascatur... », atque haec paulo inferius: « *Cujus scientiae beneficia* vice mutua caritatis humanae *cum omnibus infirmis, amicis, notis ignotisque, immo vero cum advenis magis et pauperculis communicare debetis, quia et Deo acceptior et homini laudabilior* misericordia, quae aegro hospiti ac peregrino egenoque defertur. » Pluribus autem formulis se aut christianum aut saltem christianae doctrinae amicum praebuit: — p. 236, XXIII, 29, herbam quamdam salutarem nominat, « *id est spina alba qua Christus coronatus est, quae velut uvam habet.* » — p. 242, cap. XXIII, 77, sedulo « *Gamalielum patriarcham* » laudat, a quo remedium *de experimentis probatis proxime ostensum esse* asserit. Porro fuit hic Gamalielus doctissimus Judaeorum sacerdos, Christi aequalis, qui, si famae credendum est, apostolos defenderat, defensosque secutus erat, ita ut denique magister Pauli Stephanique putaretur. — Alio in carmine, invocatur nomen Christi: p. 248, cap. XXV, 13: « *Sed hanc herbam ter, dum tenes, antequam colligas, praecantare debes sic: Terram teneo, herbam lego,* in nomine Christi, *prosit ad quod te colligo.* » — Hoc fortasse Judaeorum superstitionibus imbutum est: p. 226, in cap. XXI: « *Ad corcum carmen. In lamella stagnea scribes et ad collum suspendes haec:... discede annonita,* in nomine Dei Jacob, in nomine Dei Sabaoth. » Longum est denique, si locos omnes hujusmodi in testimonium citem, quibus Marcellus christianum se non appellatione modo, sed mente et corde praestitit.

Quid autem, si hoc « *cives ac majores nostri Siburius, Eutropius atque Ausonius* » excipias, certiores facit nos

illum inter Gallos esse adnumerandum? Non equidem testimonio tantum praefationis fidendum est, quae in codice uno omnium superstite periit, neque, ut vera dicam, huic sententiae, p. 180, XIX, 1 : « *Nam Soranus medicus quondam ducentis hominibus hoc morbo laborantibus curandis* in Aquitania *se locavit*, » quandoquidem et locum praebuit Plinius, nec quicquam edocet nos Marcellum ea, velut ad Aquitaniam spectantia, laudavisse. Item de *sapone Gallico*, ex quo plurima remedia componuntur, item de « *portulaca, hoc est allium Gallicum,* » cap. XX, 39, p. 199, nihil concludendum est. At hoc certum est et lucidum : quom nullo in loco vel Plinii vel Scribonii laudato ulla specierum herbarumve singulari cum cura nominetur, Marcellus diligentissime et graeca nomina — quae intellectu eo faciliora sunt, quod graeco sermone plerique scriptorum de medicina disseruerant — et gallica vocabula saepissime laudavit. Cur Gallica, nisi et ipse inter Gallicos adolevisset? Ceterum Aquitaniamne incoluerit an quamcumque aliam Galliae partem, parvi refert; hoc tantum memoria nostra dignum est, hunc in ea Galliae parte vixisse, ubi et latine haud sine quadam elegantia, et Gallice vulgo loquebantur. Quae si pars Aquitania fuerit, praesertim quom in praefatione Marcelli hoc sit confirmatum, quid mirum?

Tredecim ad summam Gallica legi possunt vocabula, scilicet :

Alauda, XXVIII, 50, p. 299. « *Subvenit avis galerita, quae* Gallice alauda *dicitur.* »

Baditis, XXXIII, 63, p. 347. « *Herba est, quae Graece nymphaea, Latine clava Herculis*, Gallice baditis *appellatur.* »

Blutthagio, IX, 132, p. 107. « *Herbam quae* Gallice *dicitur*, blutthagio, *eam teres...* »

Bricumum, XXVI, 41, p. 260. « *Artemisia herba est quam* Galli bricumum *appellant.* » N. B. tertiam personam : *Galli appellant.*

Calliomarcus, XVI, 201, p. 168. « *Herba quae* Gallice calliomarcus, *Latine equi ungula vocatur.* »

Calocatanos, XX, 68, p. 202. « *Papaver sylvestre, quod* Gallice calocatanos *dicitur.* »

Gigarus, X, 58, 112. « *Herba proserpinalis, quae Graece draconteum*, Gallice gigarus *appellatur.* »

Gilarum, XI, 10, p. 115. « *Serpullum herbam, quam* Galli gilarum *dicunt.* » Qui locus inter duos Plinii locos additus est, tertia persona usitata.

Halus, XXXI, 29, p. 232. « *Symphyti radix, quae herba* Gallice halus *dicitur.* »

Odocos, VI, 13, p. 54. « *Herba quae Graece acte, Latine ebulum*, Gallice odocos *dicitur.* »

Ratis, XXV, 37, p. 252. « *Herbae pteridis... quae* ratis Gallice *dicitur, quaeque in fago saepe nascitur.* »

Vernetus, IX, 131, p. 106. « *Herbam quae* Gallice vernetus *dicitur conteres.*

Visumarus, III, 9, p. 41. « *Trifolium herbam, quae* Gallice *dicitur* visumarus [1]. »

Nunquam, fateor, ita scribit : « *quam Gallice... vocamus,* » prima utens persona ; quin, bis passiva specie dimissa « *quam Gallice bricumum appellant, quam Galli gilarum dicunt* » scripsit ; at nonnunquam, nec de Graecis solum, sed de Latinis ita locutus est, quasi Latini ipsi sibi essent alieni. Confer inter se locos in quibus *baditis* vel *calliomarcus* vel *odocos* nominatur, vel (p. 376, cap. XXXVI, 13) : « *herbam... quam* Latine *berulam, Graece cardaminem* vocant ; » sed et Scribonius ita dicit : cap. XXXI, 6, p. 329 : « *Centaurei suci den. II — haec herba*

[1] His adjungi possit *toles* (p. 147, 15 ; 149, 3 et 26), de qua voce sic Isidorus, 11 *Orig.* 1, 57 : « Toles *Gallica lingua dicuntur, quas vulgo per deminutionem* tussillas *vocant, quae in faucibus turgescere solent.* » Cf. Veget., *I Veterin.*, 38.

Latine fel terrae *dicitur et ubique in agris nascitur*, » — atque alias Marcellus ipse ita dicit, cap. XXIII, 10, p. 233 : « *Vel herba quam nos* vitrum, *Graeci isatida vocant.* » Quid nos, nisi Latini? Quod si velimus, hoc animadvertamus nusquam Marcellum se professum esse Romanum; neque immerito: quae omnia plane lucida videbuntur, si meminerimus eum, non Romae quidem genitum, lingua Latinum, sedibus Gallum exstitisse.Quod ad alaudam pertinet, quam nunc *corydalum*, nunc *galeritam* avem nominat, hic latino, illic graeco usus est vocabulo, scilicet *galea* et κόρυθι.

Haec autem levissima sunt, paene dicam inania indicia; jam exquirere praestat quibus verborum aut declinationum, aut syntaxeos, aut styli usurpati indiciis Gallum et Theodosii aequalem se ostenderit, licet, ut opinor, parum distet a Plinii Scriboniique sermone sermo totius libelli. Quae summa cum diligentia perscrutantes, nihil antiquius habebimus, quam ut temporum et loci quam plurima reperiamus vestigia; haec ex proposito doctiorum studiis, plerisque jam in lucem prolatis, reliquimus, primo quid novi Marcellus nobis de Gallorum vernacula lingua protulerit: XIII vocabula, cuncta, exceptis duobus, in nominativo casu laudata, parvam lucem afferent; hoc autem investigatione dignius est, quantum imprudens Gallicae linguae, ut ita dicam, paruerit, atque a recta via sic deflexus sit. Tum et haec omittemus, quid formulae significent percontari, quom nonnullae nihil profecto significent, ceterae e superstitionibus Gallorum aut Romanorum aut Graecorum defluant, parvique ad linguam explanandam pretii

esse videantur. Sed et voces novas Marcellus usurpavit, et singularibus nonnunquam verborum aut nominum declinationibus usus est. et quaedam latinae syntaxeos praecepta parvi facere visus est. Quibus in rebus jam quae pro temporibus et regione perturbata sint inspicere conabimur.

CAPUT II.

QUAE IN LIBRO *de Medicamentis* VOCES NOVAE REPERIANTUR.

De nominibus propriis, antequam ad cetera veniamus, pauca dicamus. Namque, ut quatuor Judaïcae originis in formulis reperta : *Christus*, *Gamaliel*, *Jacob*, *Sabaoth*, omittam, atque *Æsculapius*, *Gaja Seja*, *Phoebus*, ibidem posita, ex LXXXV aliis plurima meaicos aut Graecos aut Latinos denuntiant, nonnulla quosdam remediorum auctores vel fautores, inter quos Caesarem, Augustum, Liviam, Messalinam, Neronem, Tiberium, Hadrianum, Valentinianum principes; hic autem non in libello ipso, sed in titulo epistulae septimae omnium inter praefationem libellumque a Marcello ipso, si praefationi fides sit, insertarum, legitur : « *Epistula Vindiciani comitis Archiatrorum ad Valentinianum imperatorem.* » Inter medicos Celsus, Cosmus, Hippocrates laudantur ; inter ceteros scriptores, Cato, Plinius uterque, de quibus jam actum est. Nihil inde referri potest amplius.

Cetera vero vocabula omni genere nova aut antiquiora aut inaudita plurima sunt : DCCC LX Helmreichus in indice recensuit; atque ex illis tertiam fere Graecorum latine transcriptorum vocabulorum esse

partem reperias. Pars altera minimi ad propositum nostrum interest, qua voces eae continentur Ciceroni Caesarique, ut videtur, ignotae, sed post eos quotidiano scriptorum usu tritae atque hinc jam receptae. Quibus omissis, ordine de ceteris videbimus quos auctores habuerint, unde Marcellus ea collegerit, an vere primus illis usus esse videatur.

Neminem fugit quam saepe deteriorum, potius dicam recentiorum temporum scriptores priscis obsoletisque vocabulis delectentur : sive ita efficiatur illa Q. Flacci sententia :

« Multa renascentur quae jam cecidere [1]... », seu sibi, quom verba ab usu quotidiani sermonis intermissa curiose repeterent, antiquioraque exempla improba manu versarent, facile quamdam compararent in scribendo novitatem. Neque aliter Marcellus in componendo libello voces elegit, — sed scribenti saepius elapsae sunt voces quam revera electae, — a Catone vel a Plauto ipso commendatas ; sic :

Exossare, p. 91, 4 : Terent., *Ad.* III, 4, 14.
Exfodere, p. 252, 27 : Plaut. *Aulul.* IV, 8, 9.
Inradere, p. 218, 9, solus ante Marcellum Cato, *RR.*, 157.
Instipare, p. 112, 20 : Cato, *RR.*, 113.
Obstipare, p. 36, 1, fortasse scripserat solus Plautus, *Merc.* 4, 5, 16
Dimidiatus, p. 286, 19, id est mensurae ad medium repletae Enn. ap. Gell., III, 4.
Adprime, p. 225, vocabulum antiquius, semel apud Ciceronem, *Fin.*, III, 9, nec certo, legitur.

Composita illa vocabula ; sed et simplicibus eodem pacto usus est :

[1] *Ad Pis.*, 70.

Gluttus, p. 321, 9 : Cato, *RR.*, 45, multoque post Plinius, 17, 29, 1.

Luxum, p. 380, 28 : Cato, *RR.*, 160, pro *luxatura*.

Aeneum, nomen, p. 377, 7 et 31 : Cato, *RR.*, 11, 2, ac multo post Plinius, 29, 10, 1.

Lixivus, p. 161, 16 : Cato, *RR.*, 23, hoc de musto dixerat, haud clare tamen, quandoquidem Columella, 12, 27, interpretatur.

Arthriticus, p. 178, 25 ; 353, 20 ; 365, 3, a primo videtur editum esse Lucilio (ap. Non.) ; Cicero et ipse admisit, *ad Fam.*, IX, 23, ac longo post tempore Isidorus Hispaliensis, *IV Orig.*, 7, 31.

Tum nonnullae voces in novam significationem acceptae sunt ; sed inter has plurimae ad medicinam ac morbos attinent, atque hanc ob causam indicandae potius quam diligentius tractandae ; sic enim, credo, et alii scripserunt, vel scribere debuerunt, quorum libri fortuna quadam perierunt ; nisi forte ea quae in quotidiano medicorum sermone versabantur, Marcellus ipse in scribendo usurpavit. V. g. :

Nomina : *Aborsus*, p. 198, 6, pro *abortu* receptus jam apud Tertullianum, *de fug. in persec.*, 9 : « *Nolite in* aborsibus *optare exire.* »

Accentus, p. 367, 28, graece ἀκμή, antea non nisi apud Sidon. Apoll., Gallum ipsum, medio III p. Ch. sec. scribentem : « accentum hiemis, » *IV ep.* VI. Cf. Gallice : « *accentuer.* »

Declinatio, p. 224, 4, id est παρακμή, Cael. Aurel., *Chr.* II, *n.* 37, III p. Ch. sec.

Descriptio, p. 92, 25 ; 93, 1, etc., id est Gallice : *recette pharmaceutique*, solus recepit Marcellus.

Visitatio, p. 9, 6, scilicet *medicorum curatio*, raro legitur : Theod. Prisc. tamen Gratiano regnante sic, 2, 4 : « *Sub hac* visitatione *si necdum* aegritudinis *augmenta recesserint.* »

Concretio, p. 101, 11, pro *concreta materie*, Gallice : *concrétion*, ἅπαξ, nisi forte admisit Cicero, *Tusc.*, XXVII : « *Mens segregata ab omni* concretione *mortali.* »

Osculum, p. 45, 12, hoc est *cavatura*, ἅπαξ.

Tinctura, p. 183, 26, pro *macula*, ἅπαξ. Gallice : *teinture*, cf. Corneille, *Cid*, III, 4 :

« *Et fais-lui perdre ainsi la teinture du tien.* »

Tortula, p. 52, 13, pro *pilula* (p. 52, 2), ἅπαξ.

Rancor, p. 202, 10, proprie Pallad., 1, 20, et 11, 10.

Inquietudo, p. 200, 5, scilicet *febris*, ἅπαξ.

Lethargicus, subst., p. 30, 28 ; 32, 32, Plinius atque antea Horatius, *II Sat.*, 3, 30 :

« *Ut* lethargicus *hic quom fit pugil, et medicum urget.* »

Inaequalis, p. 280, 18 : 282, 2, id est *aeger*, ἅπαξ.

Digestus, p. 38, 11 ; 209, 14, et *digestissimus*, p. 297, 17, 26, etc., is est *qui bene, qui optime cibum concoxit*, haud alibi reperias.

Verba : *Offerre*, p. 334, 19 et 24, pro *cacare*, ἅπαξ.

Discruciare, p. 43, 9, hoc est *occidere*, ἅπαξ, sententia ita mutata, ut Gallice : *gêner*, *vexer*, etc., sed aucta, nedum verbi vis angustetur, quod apud nos rarius est : tamen : *envoyer au supplice*, quod est : *à la mort*.

Accipere, p. 201, 2 ; 198, 28 ; 325, 7, etc., pro *mederi* primum hic scribitur ; vox ceterum in populari sermone frequens, cum *habendi* vel *tractandi* significatione : Terent. *Eun.*, v, 8, 52 :

« *Accipit homo nemo melius neque prolixius ;* »

Arnob. VII, p. 235 Orell. : « *Frequentissime irrigant* accipiunt*que se vino.* » Cf. Gallice : *traiter*.

Adludere, p. 182, 9, hoc est *praestringere*, ἅπαξ.

Delinire, p. 43, 6 ; 49, 3, id est *ungere*, raro Celsus (3, 9) atque Apulejus (*VIII, Metam.*) usus est, ceteri nunquam.

Contrahere morbum, Gallice : *contracter une maladie*, rarissimum : p. 57, 11 : « *Si vulva dolorem vel carcinomata* contraxerit. »

Haec autem ad medicinam nullo modo attinent :

Medietas, Gallice : *moitié*, p. 157, 33, jam Cicero, *Univ.*, 7, sed pro *medio loco* usurpavit ; per tertium p. Ch. sec., complures.

Teneritudo, p. 376, 14, scilicet alicujus rei *ea pars, quae tenera est*, ἅπαξ.

Coagulum, p. 280, 27 ; 333, 6, id est *lac coagulatum*, Marcellus solus, excepto quem transcripsit Plinii loco, accepit. Reperias et *quagulum* ; Itali nunc : *quagliare*.

Luteum, p. 42, 29 (Pl.), *vitellus ovi* : Plinius, 30, 49, 1 ; Ps.-Plin. 1, 5.

Nauticus (*panis*), p. 290, 24, Gallice : *biscuit de matelot*, jam Plinius, 22, 68, 2.

Adserere, p. 220, 9, hoc est *putare*, solus admisit Palladius, II, 3, Marcelli aequalis.

Ad summam XII antiquiora vocabula, XXVI insolenter

usurpata, quorum xx remedia vel medelas significant, haec nec magna res est, nec magni pretii, si quidem voces nostris jam tum simillimas exceperis. De compositis vocabulis longe aliter disserendum : quae jam ordine recognoscemus :

α) *Ab* (IV voces).

Abintus [1] non ante *Vulg. Interpr.*, *Ps.*, 44, 14, legitur : « *Gloria filiae regis ab intus.* »

Ablingere [2], ἅπαξ, ceterum ignotum.

Absorptus [3] tantummodo centum post annos apud Ennodium Mediolanensem, 7, *carm.* 15, legitur.

Abstersio [4], ἅπαξ.

β) *Ad* (VI voces).

Adcrustate [5], ἅπαξ.

Addormire [6], provinciali sermone usitatum, ut a Coelio Aurel., *acut.* 1, 11, et in *Itin. Burdig.* IV secul. : « *est locus ubi Jacob addormivit.* »

Admordere [7], poeticum vocabulum, ut in Verg. *Georg.* 2, 379 :

« *Admorso in stirpe.* »

Adplumbatum [8], Paul., *Dig.* 6, 1, 23 ; Ulp., *Dig.* 19, 1, 17.

Adrorare [9], Gallice : *arroser*, Gargil., *de arb.* II, 5 : « *Multi aqua leviter adrorant.* »

Allactare [10], Gallice : *allaiter*, ἅπαξ. N. B. *ll*, non *dl*.

γ) *Cum* (X voces).

Coactiliarii [11], solum in inscr. Gruter, 648, 4 : « *Lariscus lanarius coactiliarius.* »

Coagitare [12], rarum, v. g. Apic., 2, 1 et 4, 3.

Commacerare [13] Marcellus solus, ut videtur, accepit.

Commandere [14] item, et Serenus Sammon. medicus : « *myrti frondes commandere prodest.* »

Commasticare [15] Ps.-Plinius, atque antea Aemilius Macer, *de Camomilla*, II, 15 et IV, 8.

[1] P. 65, 22 ; 205, 25. — [2] P. 83, 19. — [3] P. 236, 22. — [4] P. 22, 6. — [5] P. 329, 30. — [6] P. 158, 19. — [7] P. 66, 7. — [8] P. 361, 9 (Scr.). — [9] P. 354, 14. — [10] P. 83, 9. — [11] P. 139. 19. — [12] P. 71, 26 ; 73, 23, etc. — [13] P. 177, 9 ; 381, 8. — [14] P. 86, 25 ; 152, 12. — [15] P. 123, 11.

Commixtio [1], in Apul. *Apol.* et Boeth., *in Top. Cic.* IV, p. 334. *Orell.*

Conbullire [2], Apicius, VIII, 8 : « *Diu conbulliat, donec spissel.* »

Concorporare [3], isdem fere temporibus Ammian., XXII, 8.

Confortare [4], proprie atque absolute Marcellus solus usurpavit, et post Marcellum, *Vulg. Interpr.*, *Act.*, 9, 10.

Conmollire [5] solum habent *not. Tiron.*, p. 169.

δ) *De* (IV voces).

Deforis [6] et *deintus* [7] passim in Vulgat. leguntur, etsi Cledonius, *Putsch*, p. 1875 : « Deintus *et* deforis *non dicimus*, *quia praepositio adverbiis localibus minime sociatur.* » Verumtamen vetus quidam grammaticus in bibl. Paris. 1180, p. 241 : « *debes dicere* deintus, deforis, *ut jungas praepositiones* (?). »

Delacrimatorium [8] haud alibi repertum est quam in p. 64 libelli a Tôchon de Annecio scripti, cui titulus « *cachets des oculistes.* »

Depotus [9] ex Ps.-Plinio, I, 23, p. 37, Marcellus transcripsit, ceterum nusquam ante haec tempora reperias.

ε) *Ex* (V voces).

Excaldare [10], Gallice : *échauder*, solus cum Marcello Vulcatius Gallicanus accepit, centum fere annis ante, *Vit. Avid. Cass.*, 5.

Exgranata [11] (*uva*), Gallice : *égrenée* [12], forma ipsius Marcelli, quom Pseudo-Plinius *egranatus* non semel dixerit.

Exinterare [13], rarior forma, quae fortasse nos pronuntiationis modum, quod ad *en* vel *in* spectat, edocet ; cf. *Vulgat. Tob.*, VI, 5.

Experimentatum [14], Theod. Prisc., III, 5, et Ps.-Plinius, I, 3.

Exsalatum [15], haud alibi reperias.

ζ) *In* (VIII voces).

Inalligare [16], ἅπαξ.

Inassare [17], in participio frequens, cetera autem tempora, inter quae imperat. *inassato*, ἅπαξ.

[1] P. 59, 22 (Scr.). — [2] P. 218, 30.— [3] P. 118, 32 ; 121, 30, etc. — [4] P. 81, 34. — [5] P. 88, 29 — [6] P. 214, 26. Gallice: *dehors*.— [7] P. 214, 26. Gallice : *dans*. — [8] P. 91, 11. — [9] P. 162, 28 (Pl.).— [10] P. 258, 27. — [11] P. 122, 8. — [12] N. B. Marcellum multo saepius *ex* quam *e* scripsisse, seu quia Galli, regionem magis septemtrionalem incolentes, consonantibus eo magis delectarentur (cf. nunc Germanos), seu quia, pronuntiatione magis in dies vitiata, praepositio *e* sine *x* vix jam in Gallia auribus perciperetur.

[13] P. 220, 9 (Pl.). — [14] P. 49, 5. — [15] P. 314, 13 ; 365, 16.— [16] P. 352 17 (Pl.). — [17] P. 284, 4 ; 310, 28.

Incommodare [1] non ante Ulpianum scriptum fuisse videtur.

Inscrispare [2], ἅπαξ, nisi forte Tertull., *Idolol.*, 8, hoc revera scripserit. Adde quod in lemmate cap. VII tantummodo apparet, quod lemma nescio an non scripserit ipse Marcellus.

Irrequiebilis [3] solus usurpavit Scribon., *Compos.*, 105, Marcellus deinde quasi transcripsit.

Inrorare [4], poetica vox et recentior.

Inspissare [5], nemo ante, nec, nisi Boethius, *de Unit.*, p. 296, post Marcellum accepit.

Investis [6], Tertull., Pallad., pass. ; Macrob., *Sat.* III, 8.

η) *Ob* (II voces).

Obbibere [7] solus usurpavit Marcellus.

Obluere [8], ἅπαξ.

θ) *Per* (V voces).

Perfricatio [9], ἅπαξ.

Perlenire [10], ἅπαξ.

Permixtio [11] nonnunquam, et apud Ciceronem ipsum, sed ibi rarissime reperias.

Persiccare [12], ἅπαξ.

Perversare [13], ἅπαξ.

ι) *Prae* (IV voces).

Praecantare [14], Lucilius, si Nonio, 2, 260, credatur, usurpavit ; sed nemo ante IV p. Ch. saeculum verbo ipso usus est, solus Petronius, *Satyr.*, 131, participio *praecantatus ;* solus Marcellus formis *praecantum* [15] et *praecantatio* [16].

Praecipere [17] cum infinitivo et accusativo ἅπαξ in inscriptione christiana, *Smet*, 110, 10, reperias : « *Praecepsti hospitium parare tuis.* »

Praeligamen [18] solus Marcellus, dum vocem eamdem definit.

Praelusio [19] videtur Plinius in ep. VI, 13 inscripsisse, sed non certo reperimus nisi apud Eumenem, qui Augustoduni vixit anno p. Ch. fere 280, *Pro restaur. Schol.* 2, atque apud Hegesippum, Marcelli aequalem, in *Excid. Hier.* 8.

[1] P. 257, 20. — [2] P. 52, lemm. cap. VII. — [3] P. 191, 17. — [4] P. 27, 22. — [5] P. 372, 28. — [6] P. 72, 24 ; 96, 1. — [7] P. 8, 22. — [8] P. 22, 22. — [9] P. 211, 24. — [10] P. 96, 24. — [11] P. 80, 3 ; p. 169, 12. — [12] P. 313, 9. — [13] P. 295, 34. — [14] P. 313, 4 ; p. 379, 21, etc. — [15] P. 301, 10 et 15. — [16] P. 301, 24. — [17] P. 261, 5 ; p. 53, 3. — [18] P. 69, 24, 33, etc. — [19] P. 189, 20 (Scrib.).

κ) *Pseudo* (III voces).

Pseudocalidum [1], ἅπαξ.
Pseudoflavus [2], ἅπαξ.
Pseudoliquidus [3], ἅπαξ.

λ) *Re* (II voces).

Refrigerare [4] intrans. usi sunt nulli ante Prosperum Aquitanium, L fere annis Marcello juniorem, *Vulgatamque Interpretationem*, illic *Psalm.* 141, 7, hic *Matth.*, 24, 12.

Repostus [5] poetice scribitur.

μ) *Semi* (II voces).

Semimaturus [6] ἅπαξ hic et apud Palladium aequalem legitur 7, 12, secundum Forcellinium.

Semimixtum [7], ἅπαξ.

ν) *Sub* (VI voces).

Subdulce [8] ex Plinio pass. Marcellus videtur esse mutuatus.

Suberectus [9] semel, apud Apulej., *Metam.*, 2, legitur.

Subfervefacere [10], ut *subdulce*.

Subfragi [11] (gen.), ἅπαξ.

Submejere [12] non ante Isidorum Hispal., anno fere 560 p. Ch., apparet.

Subventrile [13], ἅπαξ hic et in Glossario Philoxeni legitur, anno fere 525.

ξ) *Super* (XI voces).

Superalligare [14], solus, ut videtur, admisit Marcellus.

Supercalcare [15], Columella jam, 12, 39, scripserat.

Superdare [16], Celsus et auctores VI p. Ch. sec., pass.

Superducere [17], solus *Interpres Irenaei* antiquissimus proprie, *Haeres.* 331, 1, et Marcellus.

Superinducere [18] proprie *Vulgat. Interpr.*, *II Paral.*, 33, 1.

Superillinere [19] Celsus Vegetiusque pass.

Superligare [20] Ps.-Plinius et Sext. Placit., *Medicam.*, 19, 4, in IV p. Ch. sec.

Superlinere [21], excepto Plinio Majore, Palladius solus videtur usurpasse.

[1] P. 382, 2. — [2] P. 82, 5. — [3] P. 157, 14. — [4] P. 203, 16 ; p. 323, 31. — [5] P. 99, 2. — [6] P. 306, 19. — [7] P. 233, 27. — [8] P. 257, 21 ; p. 308, 17. — [9] P. 190, 35 (Scr.). — [10] P. 126, 8. — [11] P. 209, 3. — [12] P. 82, 11. — [13] P. 298, 27. — [14] P. 179, 33 ; p. 336, 26 ; p. 352, 28. — [15] P. 260, 34. — [16] P. 319, 18. — [17] P. 87, 29. — [18] P. 337, 24. — [19] P. 67, 20. — [20] P. 138, 5 ; 354, 3. — [21] P. 72, 18, 25, 32, etc.

Superlinitio [1], ἅπαξ.
Supermittere [2], Apicius, 5, 3, et jam Justinus, 12, 14.
Supersumere [3], Ps.-Plinius, 1, 61, ceterum nusquam reperitur.

o) *Trans* (I vox).

Transgluttire [4] proprie secundus Vegetius, qui longo temporis intervallo priorem secutus est, *Veterin.*, 78 ; item Optatus, Marcelli aequalis, sed gente Afer, *Schism. Donat.*, 21.

Quae LXXIII composita vocabula Marcellus plerumque a medicis vel culinariae artis praeceptoribus accepit ; ac profecto non pura Romanorum lingua conspiciendus est. Multas voces cum scriptoribus in Gallia natis communes habuit ; latino sermone non sine labore quodam ut videtur, usus est. Tamen, si hoc animadverteris, Marcellum in libro *de Medicamentis* vocibus uti debuisse a consuetudine oratorum aut poetarum aut historicorum saepissime remotis, procul dubio, etiamsi M. Tullio vixisset aequalis, longe ab illo discrepavisset, multasque operi suo voces inscripsisset, quas frustra aliquis in M. Tullii libellis requireret ; tum non Romae Marcellus, sed in extrema Gallia, non sub Augusti, sed sub Theodosii principatu, non in litteris, sed in magistratibus majorem vitae partem consumpsit ; denique utilitatem [5], non jucunditatem legentium affectabat : quae quom ita sint, nonne hoc mirum est quam paucae vocum compositiones novae in libro ejus appareant, quam rarae, ut ita dicam, enatent, praesertim quom in ea scripserit regione vel inter eos homines, a quibus latina vocabula jamdu-

[1] P. 73, 24 ; *superlitio*, p. 81, 25. — [2] P. 73, 21 ; 375, 26, etc. — [3] P. 171, 33. — [4] P. 138, 1 ; 159, 29, etc. — [5] « *Quanta potui sollertia diligentiaque conscripsi.* » *Praef.*, 4.

dum pronuntiatione resecta atque amputata multo breviora fierent, atque hanc ob causam compositionibus libentius quam ubi maxime augerentur ? Ac, mehercule, si, perlecto Marcelli opere, non dubitandum est quin vernaculam aliqua ex parte linguam usurpaverit, tamen hoc sine controversia erit agnoscendum, illum, quod ad compositiones vocabulorum attinet, quam minime se praestitisse ab usu scriptorum optimorum distantem.

De vocibus derivatis aliter judicandum est ; hac enim ex parte multo magis se cum usu Gallorum accommodavit. Diximus, nec longius memorandum est quo modo vocabula Romana, ubi transmigraverint in Galliam, brevi sint adulterata : namque et milites, loco saepe obscuro nati neque ita recte loquentes, facile breviora enuntiabant vocabula ; princeps affectis accentu syllabis tribuebatur locus ; ceterae mox labebantur, omissis vel vocalibus vel consonantibus — quandoquidem sublata vocali consonantes nunc concurrentes vix omnes distinctae proferebantur —, adeo ut breviores voces, si tales permansissent, jam non intellectae essent nec paene ab audientibus perceptae. Ita factum est ut celerius in provinciis potissimumque in Gallia contritus sit, ut ita dicam, sermo, non senectute solum, sed etiam loci consuetudine. Quid postea ? Verba nominaque quasi sponte sua crescebant ac producebantur in longitudinem ; ultima pars, quae vocabuli tanquam cauda est, in dies fiebat amplior, postquam priscus vocabuli finis pronuntiatione vitiosa interierat.

Nonnunquam verbis praepositiones praefigebantur; saepius altera ex parte voces deformabantur, quod et ab iis effectum est, qui melioribus praeceptis imbuti, magisque Ciceronianum sermonem edocti, inter ejusmodi tamen homines versabantur, ut consuetudini pravae loci et proximorum inviti imprudentesque parerent. Correptionem vocabulorum productio par vel longior mox secuta est; sic maxime sermo noster a Latino sermone, quod ad voces spectat, videtur distare. Sed et Romae eadem vel potius ejusdem modi deformatio quaedam spectari poterat; nam quotidiano usu tritae voces, quo magis sermo senuit, eo magis adventiciis adjumentis retineri confirmarique solitae sunt. Quom ita se res habeat, quid mirum si Marcellus multas libello suo productas voces in longius inseruit, quas aut nemo ante, aut etiam pauci, in lucem protulerant? Eas jam inspiciemus ordine, indice tantum formato, ita ut, quom de declinationibus agendum erit, tum de illis loco suo disseramus[1].

Absinthiatum[2] Seneca rhetor, sed Lampridius, Apicius, Palladius maxime receperunt.

Aciditates[3], ἅπαξ.

Acitabulum[4], Plinius.

[1] Omnia enim quae ad *derivationem* ipsam pertinent in finem capitis de *declinatione* ex proposito rejecimus : primum quia nihil aliud est derivatio quam declinatio quaedam, verbo latius concepto — et saepe *declinatione* Latini rem utramque significabant — ; tum in sermone a Marcello usurpato (cf. 71 sqq.) una ab altera sejungi non potest, quandoquidem, propter labentem in dies ac deficientem ipsam simplicem declinationem, magis magisque suffixis usus est particulis Marcellus aequalesque ceteri.

[2] P. 243, 14 ; p. 325, 8 et 13. — [3] P. 205, 20. — [4] P. 114, 23 ; 286, 19 ; 327, 14.

Acritudo [1], et Vitruvius, 2, 9 et 8, 3.

Aequalis [2], hoc est *aequus*, rarissimum.

Albugo [3], Plinius.

Albumen [4], quod Apicius pass. *albamen* scripsisse videtur, jam Plinius, 28, 18, 2.

Aliquantulus [5], non adverbii loco usurpatum, *auct. de Bell. afr.*, 21 : « *aliquantulum numerum*, » alias rarissime.

Aliquilibet [6], videtur solus admisisse Marcellus, cum Coel. Aurel. *I Chron.* IV, 70.

Aluminatus [7] semel ante Marcellum repertus est, nempe apud Plinium, 31, 32, 1, qui locus verisimiliter a Marcello transcriptus est.

Alutacius [8], haud alibi repertus est.

Amygdalinum [9] Plinius, 13, 3, 1, et Serenus Samm., 26.

Animare [10], quod est *refrigerare*, Palladius solus videtur cum Marcello scripsisse, *de Arbor.*, 4, 10, 15 : « *Arbores quotidianis rigationibus animatas.* »

Aprunus [11] vel *aprugnus* [12] : Plautus, Plinius, Persius, 2, 5.

Araneus [13] et Plinius, 18, 44, 6, et 29, 27, 3.

Arteriace [14] medici Celsus, Scribonius, Plinius quoque.

Aspritudo [15] Celsus potissimum et Scribonius, pass.

Assare [16] ab *assus* recentius fuit vocabulum, quo Apicius, 2, 1, postea *Vulgat. Interpr. II Paral.*, 35, 13, usi sunt.

Astulosus [17], ἅπαξ.

Auricula [18] pro *aure* jam apud Ciceronem, *ad Q. fratr.*, II, 15, reperitur, dum sententiam veterem aut popularem transcribit : « *auriculam alicui mordicus auferre.* » Sed et *auct. rhet. ad Herenn.* admisit, 4, 10, et Lucretius, 4, 595. Tamen ab emendato sermone usus iste alienus verisimiliter fuit.

Auruginosus [19] recepit Apulejus *de Orthogr.*, *edit. Mai*, p. 137, definiens : « *cui color et oculi virentes.* » Cf. et priorem Apulejum, *Herb.*, 3, *fin.*

Bisextialis [20], ἅπαξ.

Blattaria [21], descripta est a Plinio, 25, 60, 1, similisque dicta verbasco; ceterum, nulla de illa, ut videtur, mentio facta est.

[1] P. 65, 25 ; 68, 1. — [2] P. 235, 16. — [3] P. 81, 19 ; 82, 26, etc. — [4] P. 85, 29. — [5] P. 167, 8. — [6] P. 195, 31. — [7] P. 247, 12. — [8] P. 144, 21 ; 242, 30 ; 256, 6. — [9] P. 98, 14 ; 99, 1, etc. — [10] P. 197, 30 ; 278, 15. — [11] P. 240, 33 ; 252, 18. — [12] P. 356, 18. — [13] P. 85, 7 ; p. 104, 4, etc. — [14] P. 136, 30. — [15] P. 75, 29 ; 79, 9, etc. [16] P. 121, 23 ; 149, 18 ; 158, 13, etc. — [17] P. 381, 13. — [18] Pass, frequentior quam *auris*. — [19] P. 224, 17. — [20] P. 146, 23. — [21] P. 171, 28.

Bucculare [1], ἅπαξ.

Burdunculus [2] herba, cum hoc sensu ἅπαξ reperitur, nisi quod in *Tir. Not.*, p. 181, legitur explanatio.

Caccabulus [3] Tertull., *Apol.*, 13, Arnob. VI, p. 200, Apicius, IV, 1.

Cadivus [4] cum medicinali sensu, ἅπαξ ; at dixerat Plinius, XV, 18, 1 : « *Cadiva poma.* »

Caldaria [5], Gallice : « *chaudière,* » Vitruv., 5, 10.

Calefactorius [6] Ps.-Plinius, I, 38 ; sed et Theod. Prisc., *de diaeta*, 10, anno fere p. Ch. 357.

Caliginare [7], hoc est, morbus oculos afficiens : *Itala*, *III Reg.*, 14, 4 : « *caliginabantur,* » *Vulgata* ibid. : « *caligaverant.* »

Cancerascere [8], ἅπαξ ; sed fieri potuit ut *cancerare* formam *canceraverint* a Marcello usurpatam praebuerit.

Caniculata [9] descripta est ab Æmil. Macro, Veronensi, 2, 35 : « *Jusquiamum Graeci, quam nostri* caniculatam *dicunt,* » ceterum ἅπαξ.

Caprunus [10] a Marcello solo usurpatus esse videtur.

Carcinosus [11], item.

Carminare [12], Gallice : *charmer*, hoc est, carmina alicui injicere, item.

Castorinum [13] oleum. Sic et Diocletianus in *edicto*, p. 23 : « *pellis castorina.* »

Causarius [14], hoc est *aeger*, jam apud Senecam, *epist.* 68, reperitur ; at solus recepit Marcellus, quom de quadam corporis parte clare designata res agitur.

Causatio [15], hoc est, *morbi causa*, Pallad., I, 4.

Causticum [16] adject. Plinius haud semel ; substantivum Plinius, 26, 39, 3, atque alias.

Cavatura [17] Veget., *I Veterin.* 35 : « *cavatura temporum,* » alias ἅπαξ.

Centenodia [18] solus, ut videtur, scripsit Marcellus.

Ceputius [19] item.

Cerasium [20] item.

Cerebellum [21], Gallice : *cerveau*, pro *cerebro* Celsus fere unice recepit.

[1] P. 81, 13 ; 235, 5. — [2] P. 48, 35. — [3] P. 74, 26. — [4] P. 207, 10 ; p. 213, 7, hic pro *caducus*. — [5] P. 248, 27 ; 250, 23. — [6] P. 195, 31 ; 364, 11. — [7] P. 74, 18 et 31. — [8] P. 94, 4 et 105, 26. — [9] P. 139, 9. — [10] P. 90, 25, et pass. — [11] P. 45, 4. — [12] P. 87, 8 ; 133, 30 ; 151, 23 ; 301, 29. — [13] P. 358, 18 (Pl.). — [14] P. 80, 23 ; 123, 13 ; 179, 12. — [15] P. 22, 19. — [16] P. 139, 26 ; 138, 24. — [17] P. 125, 17. — [18] P. 331, 3. — [19] P. 49, 25 ; 202, 4. — [20] P. 66, 11. — [21] P. 67, 8.

Cerotarium [1], hoc est *ceratorium*, scripserat jam Caelius Aurel., *I Tard.* 1, Afer, sub fin. III p. Ch. seculi ; cf. et Theod. Prisc. I, 9.

Cibarium [2] vinum, vulgare vocabulum, Varro apud Non., II, 188.

Cicatricare [3] a Festo apud Paul. Diac. explanatum, p. 50 *Lind.*, reperitur apud Cael. Aurel., *IV Chron.*, 8.

Ciceroulum [4], *not. Tir.*, p. 112.

Cicinum [5] *oleum* Marcellus ex Plinii libro transcripsit, 15, 7, 1.

Clarificare [6] habent certo *not. Tir.*, p. 47 ; dubitant an Plinius potius *compurgat* scripserit, 20, 50, 1.

Clavellus [7], Gallice : *clou*, a primo verisimiliter Marcello est usurpatus.

Conditoria [8] adject. primus habuit Marcellus.

Coronaria [9] *viola*, ἅπαξ, quom per *coronarius* saepius qui vel quae coronas intexit significetur.

Corpusculum [10] pro *corpore* rarissimum ; cf. tamen Trajanum, *ad Plin.* x, 29.

Craticula [11] jam apud Martialem, 14, 221, Catonem, *RR.* 13, etc.; vox antiquior, serius rediviva facta.

Cunicularis [12] fortasse hic ἅπαξ.

Cutiones [13] hic definiuntur ; Gallice : *cousins* (?)

Electrini [14] primus videtur accepisse Marcellus : cf. tamen Paul., *Dig.*, 34, 2, 32, § 5 ; Trebellium Poll., ineunte IV p. Ch. seculo, *XXX Tyr.*, 13.

Elephantia [15], Scribonius, *Compos.*, 250 :transcripsit Marcellus.

Elephantiacus [16], jam apud Firmicum, *Mathes.* 19, *fin.*, medio fere IV p. Ch. sec. reperitur ; mox Isidor., *IV Orig.*, 8, 12.

Elephantiosus [17], fortasse non scripsit Vegetius, *I Veterin.*, 16, 1, quom potius *elephantiasis* legenda sit ; recepit tamen Augustinus, 9 *de Genes. ad Litt.*, 10.

Extalis [18], Veget. *III Veterin.* 11 ; *Vulgat.*, *I Reg.*, v, 9.

Falangionis [19], ἅπαξ, excepto Pelagonio, *Veterin.* 1, IV p. Ch. sec.

Febriculentus [20], ἅπαξ.

[1] P. 361, 23. — [2] P. 266, 33. — [3] P. 57, 20 ; 336, 27. — [4] P. 159, 33 ; 210, 24. — [5] P. 52, 8. — [6] P. 139, 5. — [7] Pass. in cap. XXXIV ; p. 352, 30, etc. — [8] P. 113, 25 ; 143, 18. — [9] P. 266, 24. — [10] P. 22, 19. — [11] P. 75, 5. — [12] P. 138, 19. — [13] P. 82, 4. — [14] P. 68, 18. — [15] P. 318, 16. — [16] P. 51, 19. — [17] (Pl.), p. 182, 26, 27 et 29. — [18] P. 331, 21 ; 332, 3. — [19] P. 172, 12. — [20] P. 224, 3.

Febrifugia [1], cf. Apulej., *Herb.*, 35, ceterum insolitum.

Fellita [2], quam vocem Glossar. Lat.-Gr. χολικόν interpretatur, fere 410 p. Ch. anno usurpavit Rufius Avienus in epigrammate quodam ; jam et Pelagonius, *Veter*. 1.

Ficatum [3], id est *jecur*, Gallice : *foie*, quod, si glossario Isidori credatur, « *Graeci* συκωτὸν vocant, » Apicius, 7, 3, acceperat. Sed et *jecur* scripsit, et multo saepius, praesertim de homine, Marcellus.

Fistulosus [4], hoc est *fistulae morbo laborans*, Cato, *RR*. 157, admiserat.

Focanum [5], hoc est *fauces*, ἅπαξ ; sed *focaneus* apud Columellam legitur, IV, 24.

Formicationes [6] *veretri*, Plinius, 30, 22, 2, unde transcripsit Marcellus, « *verendorum formicationes* » dixerat.

Formiculae [7] pro *formicis* haud rarum, neque admodum recens, quandoquidem Fronto ad Verum imperatorem, *ep*. 8, *ed. Mai*, ita scripserat ; necnon et Arnob., IV, p. 145 atque alias ; Apulej., *Metam.*, VI.

Fossatum [8], Gallice : *fossé* pro *fossa*, Palladius, 10, 13, *de Hortis ;* Veget. *IV Milit.*, 16, etc.

Frustellum [9] Arnobius III, p. 84, *Not. Tir.*, p. 168.

Frustrum [10] pro *frusto*. Incertus grammaticus *in Append. ad Probi art. min.*, p. 455, *Endl.* : « *frustum, non frustrum dicendum esse* » docet. Cf. Gallice : *fratras* quod vitiose pro *fatras* pronuntiatur, quia in compositione littera *R R* alteram saepe vocat.

Fumarium [11], quod καπνοδοχεῖον interpretatur *Gloss. Gr.-Lat.*, scripsit et Columella, 1, 6.

Furfuriculae [12], ἅπαξ.

Galacticae [13], ἅπαξ.

Galbineus [14], Gallice : *jaune*, admisit et Veget., *III Veterin*. 2.

Gargalismatium [15] seu *gargarismatium* solus fortasse admisit Marcellus.

Gargalizare [16], item ; sed notandum est *l* pro *r* euphoniae causa receptum.

Gargalizatio [17] cum *l*, item.

Gladiatoricia [18] *herba*, Gallice : *glaïeul*, ἅπαξ.

Glauceum [19] haud rarum, sed *e* notandum est.

[1] P. 169, 26. — [2] P. 6, 19. — [3] P. 229, 22. — [4] P. 332, 21. — [5] P. 148, 25. — [6] P. 345, 6. — [7] P. 182, 2. — [8] P. 82, 4. — [9] P. 196, 6. — [10] P. 280, 27. — [11] P. 243, 8. — [12] P. 49, 2. — [13] P. 61, 27. — [14] P. 247, 23. — [15] P. 134, 1 ; 143, 9. — [16] P. 106, 12 ; 115, 23, etc. — [17] P. 134, 25. — [18] P. 169, 9. — [19] P. 60, 2 ; *glaucium*, ibid., 12.

Gluttire [1] jam Fronto neque semel neque solus, v. g. *ad M. Aurel.* v, *ep.* 40.

Gruina [2], ἅπαξ.

Ignarius [3], ἅπαξ, forte pro *igniarius* inscriptum est, quod sic Isidorus explanat in Glossario : « *ignem continens.* »

Incontinentia [4] Plinius, 20, 57, 2.

Indubitate [5] jam Livius, XXXIII, 40, raro tamen.

Infantilis [6] recens est, neque ante Apulejum, *Metam.* 5, legitur, aut Ulpianum, *Dig.*, 34, 2, 26.

Infectio [7], quod quasi *tingere* significat, recepit Theod. Prisc., I, 1, interpretatus est *Glossar. Philoxen.* : βαφὴ βάμμα.

Inlitio [8], ἅπαξ.

Inparatio [9], ἅπαξ.

Inpositio [10], ita Plinius, 27, 115, 1.

Inquietatio [11] rarissime reperitur, v. g. apud Livium, 22, 27 : « *Capitum inquietatio excitans flammas,* » apud Senec., *Suas.*, 2 : « *hujus quoque remigium arcet inquietationem.* »

Irrequiebilis [12], ἅπαξ Scribonius, *Compos.* 105, admisit, qui locus a Marcello deinceps transcriptus est.

Instipare [13], ἅπαξ scriptum esse videtur, excepto Catone, *RR.*, 113.

Interaneus [14] jam Plinius recepit, secutusque est Scribonius, *Comp.* 96.

Interdigitia [15], ἅπαξ, quom scripserit ibidem Ps.-Plinius, 252, *interdigitalia, Gloss.* autem *Philox.* μεσοδάκτυλα *interdita* (sic) interpretatus sit.

Iterato [16], adverbium, jam Justinus, 43, 4 et 22, 7.

Jecoriticus [17], solus, ut videtur, Marcellus noster recepit.

Jugitas [18], quom primum a Marcello recepta sit, rarissime videtur posthac esse usurpata.

Jugiter [19], aequalis Marcelli Ausonius, *Parent.*, 19, 4, usus est, sed et Apulejus *de Mundo :* « *Machina* jugiter *per circuitum suis legibus terminata.* » Cf. in hymno quodam, sub fin.: « *Decus... sit* jugiter. »

Lactaris [20], ἅπαξ.

Laguncularis [21], ἅπαξ.

[1] P. 115, 7 ; 210, 16, etc. — [2] P. 178, 16 (Pl.). — [3] P. 343, 24. — [4] P. 269, 28 ; 285, 30, etc. — [5] P. 69, 25. — [6] P. 104, 4. — [7] P. 52, 20. — [8] P. 184, 14. — [9] P. 208, 20 et 213, 13. — [10] P. 119, 21 (Scr.). — [11] P. 62, 28. — [12] 191, 17 (Scr.). — [13] P. 112, 20. — [14] P. 299, 28 ; 318, 20, etc. — [15] P. 350, 16 et 17. — [16] P. 352, 4 ; 371, 12 et 14. — [17] P. 228, 5 et 21, et pass. in cap. XIV. — [18] P. 79, 6. — [19] P. 242, 31 ; 271, 20, etc. — [20] P. 240, 17. — [21] P. 354, 6.

Lapisculus [1], ἅπαξ, ante Alcimum Avitum, Viennensem episcopum, *ep.* 78, sub fin., v sec. p. Ch.

Lauriculus [2], ἅπαξ, interpretatus est ipse Marcellus : « *cymae lauri.* »

Leopardina [3], ἅπαξ.

Liquaminosus [4], ἅπαξ.

Liquidatus [5], fortasse ἅπαξ, profecto rarissimum, tamen in Gloss. quodam XVI sec. hoc legitur : « *Liquido*, ἐξακριϐῶ, » quo certius apparet hanc vocem recentioribus in saeculis sine controversia esse acceptam.

Lucernaria [6] *herba*, raro dicta est ; *lucernalis* Isid., *XVII Orig.*, 9, 73.

Luxatura [7], ἅπαξ.

Malandriosus [8], ἅπαξ.

Malaxare [9], Ps.-Plin., 1, 8 ; Theod. Prisc., IV, 1.

Malina [10] ; « *vel luna vel malina*, » ἅπαξ.

Malinus [11], Colum. 7, 8, Plin., 15, 12, 2, descripsit Marcellus, p. 279, 8.

Manducare [12], hoc est *edere* simplicis videtur orationis : Aug. ad Tiber. apud Suet. *Aug.* 76 : « *duas bucceas manducavi.* » — Apic., 3, 90 ; *Vulg. Interpr. II Cor.*, 9, 11.

Martensis [13] *lacertus*, ἅπαξ.

Massula [14], id est *globulus*, solus Columella, 17, 38 et 48.

Masticatio [15], Cael. Aurel., *IV Chron.*, 3.

Matronale [16] *nitron*, fortasse pro *natronâle ;* ceterum Livius, XXVI, 49.

Meacula [17], non ante Capellam scriptum esse videtur, qui vixit in Africa anno fere p. Ch. 470, 8, p. 274, nec certa lectio est.

Medella [18], cum duo *l*, solo in Laud. cod. ; ceterum haud rarum.

Mentiosus [19], ἅπαξ.

Meralis [20], ἅπαξ.

Minutalia [21] rarissimum et recens, v. g. apud Tertullianum, *hab. mul.* atque *Anim.*, 32 : « *culices, formicae, tineae, et ad hoc genus minutalia.* »

Molligo [22], ἅπαξ, nisi forte Marcellus ita Plin., 13, 26, 1, transcripserit, ubi legas : « mollia *panis.* »

[1] P. 68, 6. — [2] P. 327, 5. — [3] P. 367, 11. — [4] P. 49, 7. — [5] P. 31, 32. — [6] P. 196, 19. — [7] P. 382, 10. — [8] P. 182, 34 ; 186, 19. — [9] P. 336, 12 (Scr.). — [10] P. 375, 4. — [11] P. 137, 15 ; 197, 6 ; 279, 4. — [12] P. 34, 16 et pass. — [13] P. 51, 33. — [14] P. 243, 13 ; 351, 28. — [15] P. 48, 21. — [16] P. 240, 4. — [17] P. 24, 25. — [18] P. 39, 15 ; 199, 21, etc. — [19] P. 341, 33. — [20] P. 280, 23. — [21] P. 80, 35. — [22] P. 260, 28.

Multifarius [1], quam vocem Priscianus, 15, *p.* 1013 *Putsch.* interpretatus est, A. Gellius, 5, 6 ; « *militares coronae multifariae sunt.* » Item *gesta collat. Carth.*, regnante Honorio, anno fere 411, *cognit.* 1, n. 10.

Munditer [2], solus, ut videtur, proprie receperat Plautus, *Poenul.*, 1, 2, 26 ; in figura, Apul. Apol.

Nephriticus [3], primus, ut videtur, admisit Musa, medicus aequalis Augusti, *n.* 25, 26 *et* 27, a quo Marcellus ipse collyrium alias transcripsit.

Nigrare [4], transit., Statius, *II Sylv.*, 6, 83.

Nigrido [5], apud solum Marcellum, ut videtur, reperire est.

Nigrificare [6], ἅπαξ.

Nimietas [7] plurimi aequales Marcelli.

Nitidare [8], gallice : *nettoyer*, Columella, 13, 3, aliique.

Nocivus [9], Phaedrus, 1,29 : « *et sibi* nocivum *concitant periculum.* » Plinius, 20, 6, 2 ; « pecori praecipue nociva. »

Novellastri [10], ἅπαξ.

Novellus [11], Gallice : *nouveau*, Cicero aliique plurimi, praecipue, de medicinalibus rebus, Columella.

Nubilus [12], ἅπαξ, sed proxime *nubilae menti* scripsit Apulejus, *Apol.*, 50 : « *mentis nubilo obtorpescere.* »

Nuculeoli [13], ἅπαξ, sed *nucleolus*, Ps.-Plin. 1, 48.

Nuculeus [14], Gallice : *noyau*, sine correptione rarissimum ; cf. tamen Gargil., *de Re hort.*, 4, n. 2.

Obturaculum [15], ἅπαξ.

Oleastrum [16] generis neutri. Calpurnius Siculus, *eclog.* 2, 44.

Olfactoria [17] subst. a Scribonio transcriptum est ; item Fronto, *de Orat.*, *ep.* 2, *ed. Mai*, ceterum, nisi fallamur, ἅπαξ.

Olisatri [18], pro *olusatri oleris* descripsit Plin., 19, 42, 8.

Olitanus [19], ab *olim*, glossariis exceptis, ἅπαξ.

Ollare [20], Colum. 12, 43 ; Martial. 7, 20.

Orbicularis [21] *herba*, quod est *cyclamen*, ut ipse dicit Marcellus, p. 43, 2 : « herbae cyclaminis *quae orbicularis dicitur*, » apud solum Marcellum.

Orificia [22], Macrob., *Sat.*, 4 ; Apulej., *Metam.*, 2.

[1] P. 24, 17. — [2] P. 313, 5. — [3] P. 259, 1. — [4] Cap. VII, lemm. — [5] P. 114, 20 ; 136, 17 et 24. — [6] P. 363, 14. — [7] P. 286, 23 ; 289, 23 ; 333, 2. — [8] P. 81, 14 ; 266, 5. — [9] P. 198, 6. — [10] P. 74, 20. — [11] P. 48, 7 ; 247, 29, etc. — [12] P. 6, 23. — [13] P. 268, 7. — [14] P. 126, 31 (Pl.). — [15] P. 361, 5 (Scr.). — [16] P. 114, 16. — [17] P. 190, 33 (Scr.). — [18] P. 197, 34. — [19] P. 200, 7 ; cf. Du Cange, s. h. v. — [20] P. 363, 34. — [21] P. 43, 3 ; 44, 17 ; 236, 23. — [22] P. 149, 15.

Ossiculum [1], Plinius, 11, 49, 1 ; Gellius, 6, 1, etc.

Ovilis [2], jam Apulej., *Metam.*, 4 : « *Spelunca* ovili *stabulationi commoda.* »

Oxyfera [3], ἅπαξ.

Panicula [4], apud Plinium haud rarum.

Pasta [5], graece : πάστη, gallice : *pâte*, solus admisit Marcellus.

Pastillulus [6], ἅπαξ.

Pauculum [7], neutri generis, substantivi modo usurpatum, ἅπαξ ; sed Apulej. *Metam.*, 29 : « post *pauculum tempus.* »

Paululum [8], item, Cic. *Cat.* 1, et passim.

Pauxillum [9], non ante Vigilem Thapsensem episcopum sub Vandalorum dominatione, *contra Varimad.*, 38 : « *pauxillum aquae,* » receptum esse apparet.

Pectinare [10], Gallice : *peigner*, Plin., 18, 50, 2 ; Apulej. *Met.* 6.

Pediculus [11], Celsus, 6, 6, n. 15 ; 8, 7, de gallinis ; Plin., 29, 38, 4.

Peduclaria [12] *herba*. Videtur Scribonius *pedicularia* scripsisse, *Compos.* 166.

Peduclaris [13], item Columella *pedicularis*, 6, 30, recepit ; *peduclaris*, ut videtur, nemo.

Pedunculus [14], vox vulgo usitata, Gallice : *pouil, pou.* Pallad., *Veter.*, 7 : « *Pedunculos tres humanos in aurem dexteram equi mittito.* »

Peniculus [15] *pictoris* : Plinius, 35, 36, 19.

Perfricatio [16], ἅπαξ.

Periodicae [17] *febres*, jam Plinius, 20, 8, 2.

Peripleumoniacus [18], quae vox e graeco sermone diligenter transcripta est, Theod. Prisc., 2, 5.

Permixtio [19], jam Cic. *Univ.*, 12 ; sed et Aurelius Victor, *Caes.*, 41, ambo translate ; proprie, ut Marcellus, Pallad., 11, 20.

Personacea [20], rarum ; tamen Apulejus, *herb.*, 36, dum alia in aliis sermonibus ejusdem herbae nomina enumerat, ita dicit : « *Itali (vocant) personatiam.* »

Picula [21], idem Apulejus, *herb.*, 36 : « *Cum nitro et axungia et* picula *ex aceto teres ;* » item Vegetius, *I Veter.* 11.

[1] P. 39, 12 ; 340, 11. — [2] P. 277, 15. — [3] P. 240, 30. — [4] P. 56, 32 ; 142, 24, etc. — [5] P. 33, 11 ; 323, 28. — [6] P. 163, 32. — [7] P. 344, 5. — [8] P. 74, 4 ; 124, 27. — [9] P. 84, 36 ; 344, 21. — [10] P. 51, 22. — [11] P. 263, 11. — [12] P. 31, 10 ; 120, 34, etc. — [13] P. 31, 12. — [14] P. 43, 9 ; 46, 13, 16, etc. — [15] P. 52, 24. — [16] P. 211, 24. — [17] P. 215, 31. — [18] P. 194, 2. — [19] P. 80, 3 ; 169, 12. — [20] P. 174, 27 ; p. 175, 19, etc. — [21] P. 374, 20.

Piperatum[1] *acetum*, Plinius, 14, 19, 6.

Pisinnus[2], Martialis, 11, 72 ; ceterum rarissime.

Pituitosus[3], jam Cic. *Fat.* 4.

Pleuriticus[4], Caelius Aurel., 2, *Acut.*, 16, 17 ; Isidor., 4 *Origin.*, 6.

Plusculus[5] adject., Terentius, *Phorm.*, 4, 3, 60 ; *Columell.*, 12, 50 ; Apulej., *Met.*, 2.

Pluviatica[6], primum a Marcello recepta.

Porriginosus[7], Ps.-Plin. 1, 4.

Porrigo[8], jam Horat. *II Sat.* 3, 126 ; Plin., 20, 23, 4.

Praeligamen[9], primum a Marcello receptum.

Primipara[10], Plin., 8, 62, 1, atque alias.

Primitivus[11], Gallice : *primitif*, Colum., 9, 13 : « *apes primitivis floribus illectae.* »

Proserpinalis[12], ἅπαξ.

Prurigo[13], haud rara vox, quam Plinius, Celsus, Martialis, aliique receperunt.

Psittacinum[14], quae vox graeca est, reperias apud Scribon., *Comp.* 27 ; Marcellus transcripsit.

Querimonium[15], Venantius postea recepit in carmine *de Vita S. Martini*, II, 401.

Quindecimus[16], Gallice : *quinzième*, scriptum est a Pompejo Trogo, Gallo et ipso, *prol.*, 15 ; quae vox et in ceteris provinciis simpliciter, non secus atque *undecimus* ab *undecim*, a *quindecim* defluxit.

Quinquefolius[17], Plin., 21, 10, 4 ; Scribon., *Compos.*, 53.

Ramicosus[18], ἅπαξ, excepto Plin., 30, 47, 2.

Ramusculus[19], quem ita descripsit Isidorus, *Orig.* 17, 6, 17 : « *rami sunt qui de trunco manant, sicut a ramusculis cetera,* » jam Plinius, 20, 98, 2.

Rasamen[20], ἅπαξ.

Rationabilia[21], raro, cum hac significatione, scilicet remedia sine, ut ita dicam, materia ; descripsit postea Isidorus : « rationabile, *quod ratione vel agitur vel dicitur,* » 1 *Differ.*, 487.

[1] P. 239, 32. — [2] P. 74, 6 ; 259, 19. — [3] P. 317, 9 et 320. — [4] P. 136, 30 ; 171, 12, etc. — [5] P. 6, 1. — [6] P. 62, 26 ; 63, 26, etc. — [7] P. 42, 33 et pass. cap. IV. — [8] Cap. IV, pass. — [9] P. 69, 24 et pass. cap. VIII. — [10] P. 86, 27. — [11] P. 236, 25. — [12] P. 112, 3 et 144, 1. — [13] P. 72, 21 ; p. 83, 15, 22 et 33. — [14] P. 61, 11 (Scr.). — [15] P. 21, 4. — [16] P. 367, 18. — [17] P. 284, 1. — [18] P. 343, 17, 25 et 346, 5. — [19] P. 41, 21 ; 167, 7. — [20] P. 33, 11 et 174, 24. — [21] Lemm. pass.

Refrigerare [1] intransitive rarissimum ; fortasse hanc vocem Galli malebant scribere, quom, *Vulgata* habente *refrigescere*, *Matth.*, 24, 12, in simili loco, *Psalm.* 141, 7, Prosperus Aquitan. *refrigerare* dixerit.

Remediabilia [2], hoc est *efficacia*, ἅπαξ.

Remediare [3], Scribon., *Compos.* 11 ; passive, Scrib. *ibid.* 18.

Reniculus [4], excepto libro *de Medicamentis*, ignotum.

Reumatizare [5], raro, Theod. Prisc., 1, 10.

Reumaticus [6], Plin. 29, 39, 8.

Ripariola [7], ἅπαξ.

Robius [8], Gallice : *rouge*, hic tantum certo legitur ; cetera incertum, excepta fortasse inscriptione apud Gruter., 61, 3 : « *vitulo robio.* »

Rubellus [9], Plin., 14, 4, 3 : *Proxima dignitas Nomentanis (vitibus), rubente materia, quapropter quidam* rubellas *appellavere vineas.* »

Rubricata [10], Petron. *Satir.*, 46 ; *Itala*, *Exod.* 35, 23 ; 26, 14.

Ruclatum [11], ἅπαξ pro *runclatum* (?).

Rudicula [12], Cato jam admiserat, *RR.* 95 ; postea Columella, 12, 46, Plinius, 34, 54, 2.

Ruptura [13], ἅπαξ, excepto Gell., 20, 1.

Sablones [14], anno fere 570 p. Ch., Gildas, *de Excidio Britanniae*, 1, 14 ; Venantius, 9 *Carm.* 15, 5, ambo sine ulla medicinali significatione, Galli aut Britanni ambo.

Sablosa [15] *harena*, ἅπαξ.

Salissatio [16] sive pulsus, ἅπαξ.

Salsamentarium [17] *vasum*, Columella, 2, 10 ; Plinius, 18, 73, 5.

Salsamentum [18], olim minime rarum : Terentius, *Adelph.* 3, 3, 27.

Sanguinalis [19] *herba*, Plin., 27, 91, 1 ; Colum., 7, 5.

Sanguisuga [20], Gallice : *Sangsue*, Plinius, Celsus, pass.

Sanguisugia [21], Acron. Servio recentior, ad Horat. *ad Pis. fin.*: alios « sanguisugiam *pro* sanguisuga » dixisse asserit.

Scabidus [22], proprie, ἅπαξ ; translate Tertull., *Anim.*, 38 : « scabida concupiscentia. »

[1] P. 203, 16 ; 323, 31. — [2] P. 22, 16. — [3] Pass. — [4] P. 259, 27 ; p. 270, 21, 24. — [5] P. 56, 27 ; 57, 13 ; 198, 26. — [6] P. 152, 25 ; 166, 21. — [7] P. 144, 13 (Pl.). — [8] P. 281, 10. — [9] P. 267, 10 ; 311, 2. — [10] P. 348, 22 (Pl.). — [11] P. 224, 26 : *rasum, id est ruclatum.* — [12] P. 136, 11. — [13] P. 350, 16. — [14] P. 259, 3 : *calculos vel sablones.* — [15] P. 253, 16 (Scr.). — [16] P. 222, 5. — [17] P. 147, 26. — [18] P. 44, 33 ; 357, 9. — [19] P. 102, 26. — *Sanguinaria* (Scr.), p. 26, 9. — [20] P. 88, 22 ; 167, 34 ; 168, 3. — [21] P. 153, cap. XVI, lemm. — [22] P. 83, 16 et 184, 30.

Scabritudo [1], proprie ἅπαξ, translate Petron., *Satir.*, 99. Notandum est ad ambas hasce voces translatum sensum prius apparuisse in libris quam proprium, quippe saepius translate quam proprie scribitur ; tamen sine dubio proprie ante dixerunt quam translate.

Scalpello [2] rarum. Veget. 1 *Veter.*, 26.

Schininum [3] a graeco σχίνου, hoc est *lentiscum*, ἅπαξ.

Sciaticus [4] ubique in ceteris locis nescio an *ischiadicus* legendum sit.

Scotomaticus [5], adj. et subst. Caelius Aurel. *I Chron.*, 2, 51 ; Scrib., *Comp.* 99.

Scrofinus [6], solus, ut videtur, Marcellus recepit.

Semodialis [7], Marcello excepto, ἅπαξ reperitur, Cat. *RR.* 76.

Septimana [8], Gallice : *Semaine*, a christianis potissimum usurpata esse videtur : v. g. *Cod. Theod.*, 15, 5, 5 ; *Vulgat.*, *II Mach.*, 12, 31, etc.

Similare [9], Gallice : *sembler*, cum accusat. ἅπαξ, excepto Augustin., *Serm.* 57, *n.* 2, *ed. Mai ;* inde in antiphona : « *Similabo eum viro sapienti.* »

Solistitium [10], pro *Solstitio*, ἅπαξ.

Solitaneus [11], a verbo *solere*, ἅπαξ.

Sopora [12], ἅπαξ.

Sorbitiunculae [13]; eodem ferme tempore Hieronym., *Vita Hilarion. n.* 11. : « *Fiebat ei de farina et comminuto olere* sorbitiuncula. » *Vulgat.* 2 *Reg.* 13, 6 *et* 10.

Sordicula [14], ἅπαξ, excepto Augustin., *Serm.*, 199, *n.* 3, *ed. Mai.*

Sordidatus [15], jam Cic. *in Pis.* 27.

Sospitas [16], Macrob. 1 *Sat.*, 17.

Spatula [17], Ps.-Plin., 2, 45.

Spondogos [18], ἅπαξ, ceterum explanavit Marcellus.

Sterculinium [19] ; asserit Victorinus grammaticus, anno fere p. Chr. 350, legendam esse ultimam syllabam *num*, non *nium*, potissimum apud Catonem, *RR.* 2. *Sterculinium*, cum *cu* rarius pro *qui* scribitur, v. g. apud Phaedrum, 3, 12.

Sternumentum [20] ; Gallice : *éternument*, Plinius, pass.

Stillaticium [21], ἅπαξ, excepto Plinio, 16, 22, 2.

[1] P. 90, 7. — [2] P. 123, 10. — [3] P. 181, 6. — [4] Cap. xxv, lemm. et pass. — [5] P. 38, 10. — [6] P. 43, 8 ; 44, 18, etc. — [7] P. 164, 31. — [8] P. 270, 33. — [9] P. 85, 29. — [10] P. 244, 19. — [11] P. 207, 10 et 290, 20. — [12] P. 29, 19 : *papaveris lacrima, quae sopora a quibusdam appellatur.* — [13] P. 109, 6. — [14] P. 87, 5 et 12. — [15] P. 45, 36. — [16] P. 9, 6. — [17] P. 150, 13 (Scr.). — [18] P. 287, 34 definitur. — [19] P. 314, 8 ; 352, 19 ; 377, 5. — [20] P. 176, 13. — [21] P. 101, 26 et 102, 3.

Strangurium [1], solus admisit Marcellus.

Stranguriosus [2], item.

Strictura [3], Ps.-Plin. 4, 2; Caelius Aurel., *I Acut.* 7, 9; 7, 10; 7, 21.

Strumella [4], ἅπαξ.

Subite [5], pro *subito*, ἅπαξ.

Subluvium [6], ἅπαξ.

Submejulus [7], a solo Marcello videtur esse usurpatus.

Sucinus [8], Martialis, 4, 59, et 6, 15.

Summiter [9], ἅπαξ.

Susinatum [10], ἅπαξ, a graeco nomine σούσον et *susinum*. Σούσον autem Persica vox, ut videtur, fuerat.

Sutoricium [11], ἅπαξ.

Symphoniaca [12] *herba*, Apulej., *Herb.*, 4, Pallad., 11, 12; Veget. 3 *Veterin.*, 68.

Taxoninus [13], ἅπαξ scriptum esse videtur, a *taxo* Gallica voce, ut consentiunt.

Tectorium [14], hoc est *sigillum*, solus, ut videtur, Marcellus usus est.

Tepidare [15], explanavit interpretatusque est Plinius, 17, 41, 1: « *circumfundere vites riguis, ne frigus adurat,* » qui est in agro Sulmonensi usus agricolis frequens.

Tetanicus [16] Plinius saepe, v. g.: 26, 81, 1; 23, 63, 7, etc.

Tetrassarius [17], ἅπαξ.

Tineosus [18], Columella, 9, 14; Augustin., *op. imp. contra Julian.*, 16, Gallice: *teigneux*.

Tiniatica [19], ἅπαξ.

Tortio [20], scilicet *tormentum*, Plin., 20, 67, 1; *flexio* vero, Veget. 1 *Veterin.*, 46.

Tosillae [21], jam Cicero, *N. D.*, 2, 54, sed et Plinius, 11, 66, 1, compluresque alii.

Tostare [22], Ps.-Plin. 2, 28.

Triduana [23], primum, ut videtur, Apulej., *Met.*, 10, recepit; sed, paulo post Marcellum, Hieronym., *ep.* 54, *n.* 10; Paulin. Nol., *Carm.* 21, 207, Boeth., 3 *Consil. phil. pros.*, 8: « *Triduana febris.* »

[1] Cap. XXVI, pass. — [2] *Item* — [3] P. 323, 14. — [4] P. 142, 25. — [5] P. 272, 8. — [6] P. 180, 4. — [7] Cap. XXVI, pass. — [8] P. 256, 18. — [9] P. 221, 17, et 299, 17. — [10] P. 57, 11. — [11] P. 65, 2, et 66, 3. — [12] P. 77, 1. — [13] P. 367, 12. — [14] P. 239, 1 (Pl.). — [15] P. 99, 28. — [16] P. 178, 23. — [17] Definitur p. 3. — [18] P. 51, 15. — [19] P. 171, 26. — — [20] P. 286, 23; 291, 4. — [21] Lemm. cap. XV et pass. — [22] P. 113, 17; 256, 33, etc. — [23] P. 169, 25.

Trisextium [1], ἅπαξ hic legitur, exceptis *Not. Tir.*, p. 147 : « *sextarium, bissextium, trissextium, quadrisextium.* »

Troglodytis [2], a Marcello solo, ut videtur, in scribendo usurpata.

Trulla [3], deminut. a *trua*, Cato, *RR.* 13, Colum., 9, 12, jam Cicero, *Verr.* VI, 27.

Tubulus [4] haud ita rarum : Varro, 1 *RR.* 8 ; Vitruv. 8, 7 ; Plin. 35, 46, 1.

Turea [5] *arbor* : Cf. Verg. *II Georg.* 117 : « *solis et turea virga Sabaeis.*

Ulcerosus [6], jam Tacit. *ann IV*, 57 : « *ulcerosa facies.* »

Umigare [7], ἅπαξ.

Umorosus [8], sed cum *h* init., Caelius Aurel., 2 *Acut*, 10 ; Apulej., *Herb.*, 51 : « *Nascitur in parietibus et* humorosis *locis.* »

Ungella [9], Apic., 4, 5 ; *edict. Dioclet.*, *p.* 14 : « Ungellae *quatuor et aqualiculum pretio quo caro distrahitur.* »

Unipeccia [10], ἅπαξ, excepto Ps.-Plin. 1, 8.

Ustulo [11], Gallice : *brûler* a *perustulare*, Catullus, 36, 8 : « *infelicibus* ustulanda *lignis*, » cetera rarum.

Ustura [12], Cael. Aurel. 3 *Acut.* 8 : « *Plerique superficiem vulnerant ustura.* »

Vaccinus [13], Plin., 18, 50, 3 : « *Jus e vaccina carne,* » atque alibi.

Varulus [14], ἅπαξ.

Ventrale [15], Plin., 8, 73, 4 : « *sic ut villosa etiam ventralia,* » et 27, 28, 5.

Verrucaria [16] *herba*, raro citata, Plin., 22, 29, 2 : « *Verrucas cum sale tollit succus e folio, unde nostri* verrucariam *herbam appellavere.* » Cf. Isid., 17 *Orig.*, 9, 37.

Verrucula [17], Celsus, 5, 8, n. 14, Colum., 7, 6, Pallad., 13, 13, 7.

Vessicariae [18], excepto Scribonii transcripto hic loco, ἅπαξ.

Vetustatus [19], Theod. Prisc., 1, 10.

Quod si vocabula ἅπαξ εἰρημένα omittamus — quo

[1] P. 169, 3. — [2] P. 38, 16 ; 93, 3. — [3] P. 164, 16 ; 375, 28. — [4] P. 313, 33. Ibid. *Coitum facere cum* pro *coire* vel *salire.* — [5] P. 78, 3 (Scr.). — [6] P. 320, 23 ; 321, 1. — [7] P. 243, 2 (p. 22, 14). — [8] P. 48, 18. — [9] P. 196, 6 et 12. — [10] P. 146, 23. — [11] P. 330, 15 ; 334, 11. — [12] P. 184, 1. — [13] P. 88, 8 ; 169, 30, etc. — [14] P. 89, 7, 11 et 24. — [15] P. 351, 1. — [16] P. 186, 18. — [17] P. 255, 3 ; Scrib. *comp.*, 146. — [18] P. 254, 8 (Scr.). — [19] P. 238, 4 et 7.

hoc tantum significatur nullis in superstitibus libris ea esse reperta aut notata, — atque eas voces quas Marcellus princeps recepisse videtur, animadvertendum est quam multas ille extra Ciceronianum usum a Plinio Secundo mutuatus esse jam videatur. Fatetur ille in praefatione utrique Plinio atque Apulejo maximum contulisse studium ; sed, quom Pseudo-Plinius, cujus tot locos simpliciter transcripsit, priorem Plinium continuo spoliaverit, adeo ut et nomen illi tributum sit, minime mirum est quod, utroque Plinio perlecto et quadam ex parte transcripto, prior ille ac verus Plinius ad summam transcriberetur. Revera libellus Marcelli Plinianorum librorum brevis est epitome, nisi quod Scribonii excerpta plurima enatarunt.

Hoc jam notemus, quot inter derivata vocabula, quae Marcellus *undeunde* collegit, gallicas temporibus nostris voces praebuerunt, sive integras voces inspiciamus, seu tantummodo terminationes peculiariter intueamur. Verbi gratia, plurima nomina in *-tas* terminata, gallice *-té*.

Aciditas, sospitas, jugitas, medietas ;

in *-io*, gallice : *-ion* :

tortio vel *torsio* ;

vel, quod apud doctiores primum potius quam apud plebem valuit :

in *-atio*, gallice : *-ation* :

causatio, inquietatio, salissatio, visitatio ;

in *-tudo*, gallice : *-tude* :

acritudo, aspritudo, scabritudo, teneritudo, inquietudo ;

in -*tura*, gallice : -*ture* :

cavatura, tinctura, strictura, lavatura, ruptura.

Item, adjectiva plurima in -*osus*, gallice -*eux* :

astulosus, umorosus, ulcerosus, pituitosus, porriginosus, ramicosus, fistulosus, tineosus, etc. ;

verba in -*are*, gallice : -*er* :

aluminare, assare, caliginare, caniculare, carminare, cicatricare, clarificare, scalpellare, remediare, etc.,

adeo ut Gallico cuidam aetatis nostrae, legenti opera Marcelli, saepissime liber in latinum e gallico sermone translatus esse videatur. Plinii autem libros legentium non ita aures perculsae sunt ; videre videmus latinum scriptorem, Cicerone quidem recentiorem et Livio, tamen pura aetatis suae oratione utentum ; non ita primum sentimus ea ab alieno sermone, ut ita dicam, procedere. De Marcello longe aliter : quid multa, nisi quod sic suum ei ingenium aequalesque suaserunt, ut inscius recentiori popularium suorum sermoni accederet, Pliniumque ita transcriberet, ut jam non Plinius Cisalpinus hic appareret, sed vere Gallus Burdigalensis ? Ultro Marcellus, quom Plinii locos transcribebat, eas eligebat voces, quae Gallico sermoni minimum repudiabant ; jam profecto ita propensi erant Galli latine loquentes, ut has, non illas terminationes anteponerent[1] ; paulatimque nasceretur distinguereturque latinus ille sermo a Gallis maxime receptus, qui mox Gallorum sermo proprius, ut sciunt omnes, factus est, suaque sponte, etiamsi Germani non accessissent,

[1] Quod exemplis ex libro Marcelli excerptis galliceque translatis satis, ut opinor, patebit.

profecto fiebat. Vide, verbi gratia, quo pacto haec, fere casu ac temere collecta, in sermonem nostrum transferantur:

p. 290, 18 : qui sanguinem per intestinum jactant...
l'intestin jettent
herbae urticae masculae summitates colliges...
mâles sommités cueilleras.
p. 292, 19 : tenesmos est irritatio ultimae partis directi
irritation droit
intestini. — p. 365, 13 : compositio emplastri ... ad
intestin composition
nervorum contractiones relaxandas et ad quaslibet contusiones.
contractions relâcher contusions
p. 96, 15. Si auricula aliquo pacto vitiata
oreille viciée
fuerit..., expurgabitur sanitatique reddetur.
expurger santé
p. 158, 11 : ad stomachi confirmationem remedium
confirmation
probatissimum... — p. 178, 4 : cervicis dolor inflexibilis...
(é)prouvé inflexible
p. 182, 5 : lepras haec compositio potentissime extirpat,
composition extirpe
etc.

Quae accuratius in proximo capite recognoscentur, quia majoris etiam interest quibus maxime particulis — quae nunc *suffixae* dicuntur — Marcellus in scribendo usus sit, quam qui vel quot illi in declinandis nominibus vel verbis barbarismi elapsi sint. Ex his plurimorum verborum nominumque apud nos formae defluxerunt. De praefixis autem particulis, quae nullo modo ad declinationem pertinent, hic jam licet disserere.

Sic quidem componuntur verba, ut non solum facillime praeponantur particulae quae sensum leviter

commutent aut graviter, sed nullam auctor afferat curam ad scribenda *cum* vel *sine* particulis eadem verba. Nunc videtur verbum ita auctum, quasi novo aut saltem vere aucto sensu praeditum esset, ut, v. g.:

incoquuntur,	supermittes,	circumcinxeris,
commiscetur,	superinducta,	concalefacta,
superimpones,	immortuus,	percolata,
superillita,	subcoques,	innatam [1], etc.;

nunc autem sensus praepositionis obliteratus est, admodumque in struenda sententia negligitur[2]. Sic aut novi nascuntur sensus, ut p. 57, 11: « Si vulva dolorem vel carcinomata *contraxerit,* » gallice: *contracter ;* aut pleonasmi gignuntur, qui frequentior est usus:

diligenter perunges,	*in arbore* innatam,
intra uterum immortuum,	*tenuiter* subcoques;
retro respicies,	*bene* permiscebis,
bene perococto,	*deinde* supermittes [3], etc.;

aut, quod singulare prorsus est, jungitur cum verbo ita composito vox quaedam, particulae repugnans, sicut illa quae sequuntur:

seorsum contunduntur, confricabis, conteres [4];

quibus exemplis significatur, illinc significationem particularum jam tenuissimam, illinc nullam esse factam; sed haec ea magis demonstrabunt. Quom enim, p. 229, 32, haec legantur: « *herbae solstitio lectae,* »

[1] Marcellus, *pass.*
[2] Contra plerumque (p. 166, 17; 176, 15, 24, etc.), *vulsus* pro e *morbo convulsus* dicitur; cf. Plin., 21, 74, 1; 23, 16, 4.
[3] Marcellus, *pass.*
[4] P. 226, 28; p. 160, 23; p. 294, 17.

mox, p. 244, 19, scribitur: « *herbae solstitio collectae.* »

p. 181, 13 : *radices* discoques, *easque* decoctas ;
p. 183, 36 : *sesamumque commanducatum* superimpones, *vel bulbum Africanum cum aceto* impones.
p. 314, 3 et 5 : { *fila in se* adunata, *fila in se* counata.
p. 123, 6 et 11 : { *gramen masticet,* *radices teneras* commasticabis.
p. 208, 15 et 19 : de*fervere facies.*
rursum in eadem olla (*eadem*) *fervere* ⟨*facies*⟩.
p. 301, 13 : *terram codem pollice tanges et spues,*
15 : *rursumque.. terram* continges *et* expues.

Fortasse verba composita cum compositis usurpantur, cum simplicibus simplicia, ita ut nescio quid novum « simili simile gaudet » efficiatur ; tamen,

p. 258, 31 : *separatim teres et permiscebis,*

quom facile scribi potuisset, ut, p. 294, 17 : « *seorsum conteres.* »

Sed et hoc maxime mirum : scilicet quom verbum sic compositum recipitur, fit ex praepositione interdum adverbium, ut apud Homerum frequentissime videmus; unde τμήσεις vel sectiones apparent : κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα, ubi κατὰ, jam vere factum adverbium, cum ἔκηα conjungendum est, sicut, v.g., εὖ vel κακῶς vel adverbium quodcumque : haud secus in germana lingua quae separabiles particulae vocantur, « *zurück, mit, in,* etc. » Similiter et Marcellus, dum locum quemdam a Scribonio transfert :

p. 149, 32 : *atque ita oblinire hoc medicamentum* superque tegere *lana sulpurata totam maxillam.*

Hic quidem nequibat, post *tegerĕ*, *quĕ* supponi; sed sine dubio aliter scribi potuisset, nisi junctura haec facile esset admissa. Ergo, quom apud Graecos praepositiones in principiis fuerint adverbia, adverbiorumque more recepta, mox autem nunquam nisi cum substantivis admitterentur, contra apud Latinos, praecipueque in sermone vulgari, paulatim rursus fiebant ex praepositionibus adverbia, subaudiebaturque haud raro substantivum, quod temporum consuetudine praestitit, v. g. gallice:

« *avec, pour, contre, devant, avant, après,* etc. »

Cicero ipse *ante* et *post* adverbiorum instar utebatur; multiplex inde usus evasit.

Sed et hic potissimum apud nos valuit usus, ut pro nihilo saepissime habeantur eae praepositiones quae cum verbis adstricte cunjunctae sunt:

« *apercevoir, conduire, résoudre, remplir,* »

utque iterativae vel quocumque modo derivatae voces pro simplicibus habeantur:

« *manger, chanter, capter, casser, dompter.* »

Notemus tantum sermonem apud nos haud ita instabilem fluitantemque, ut ita dicam, videri, nec tanta cum neglegentia verbis uti nos, nunc simplicibus, nunc compositis, nec pro unaquaque re tot verba admitti: qui, ad exemplar Marcelli, libere quamlibet vocem scribit, nec delectum verborum habet, nec curat ut diversis diversa, eadem eisdem vocibus exprimantur,

ille, etsi in deterioribus vixit temporibus, prave et pessime scribit, nec cujusquam laudis dignus est nec studii, nisi in eis rebus quas imprudens insciusque nobis ante oculos aut profert, aut proferri passus est. Difficillime, si voces usurpatas inspicias, quae significare voluerit auctor, reperias ; hoc tantum superest, scripsisse eum inconsulte, ideoque ita scripsisse, ut aequales ejus loquebantur.

Sed, quod ad simplicia verba spectat, unum est, quod merito longius inspicias ; haec verba, hae voces, ob compositas neglectae rariusque scriptae, ipsae apud Marcellum significationem nonnunquam servaverunt debilitatam ; eis particula opus erat, qua sensum priscum retinerent ; deficiente particula, sensus ipse nutabat. Vide prae ceteris verbum *mittere* quod gallice priscis temporibus « *envoyer* » tantum significabat, pariter ac graecum verbum ἵημι : quid postea? septuagies dixit Marcellus *mittere*[1] eodem sensu quo Galli nunc « *mettre* » dicimus, id est, nunc *ponere*, nunc *infundere*, nunc *includere*, etc. : sic, in uno capite, quod est septimum :

p. 52, 21 : *hirundinum stercus...* mitte *in vas fictile ;*
p. 53, 6 : *radicem... concides et in ollam rudem* mittes ;
13 : *si ovi corvini quae sunt interiora... in vas aereum* mittes ;
p. 54, 14 : *omnia haec in unum vas* mittes ;
p 55, 26 : *oleum vetus, quantum* mittendum *fuerit.....* mittes *in ollam novam.*

Item *facere*, paulatim detracto sensu proprio, jam verbi instar auxiliaris cum infinitivis jungitur (cf.

[1] Ita jam, fator, M. Cato, sed multo rarius, neque, ut ita dicam, ex consuetudine scripserat.

cap. vi *de Syntaxi*), aut saepius res maxime inter se repugnantes significat, ut *esse*, *accidere*, *fieri*, *efficere*, etc. Haec locutio frequentissima praebetur et legentibus occurrit :

> *Hoc bene facit ad sanandum (morbum),*
> *Bene facit si infuderis,*
> *Facit et hoc remedium, etc. ;*

item adverbium *bene* aliaque plurima; adeo ut ad summam, contritis et exhaustis simplicium vocum sensibus, ipsae ad sensum magis in dies universum progressae sint atque evanuerint, dum ad exprimendum priscum sensum quocumque modo essent augendae.

Hoc denique memoria servandum est judicantibus Gallum scriptorem utrum Gallice magis an Latine scripserit, « *Narbonensem provinciam Italiam verius quam provinciam* » fuisse, ut Plinius asseruit (*H. N.* 31), saepiusque e Gallia rhetores latinos Romam venisse. Quapropter non adeo usurpatis vocibus Gallicus fuisse Marcellus videtur; si quando Gallicum sermonem redoluit libellus ejus, saltem potius dixero illum sermoni suo Gallicum aliquid injecisse, quam gallico sermoni Latinum aliquid: adeo illis quidem temporibus Gallia atque Italia strictis vinculis erant inter se conjunctae, adeo Alpium juga, si linguam inspexeris, prorsus eversa fuisse videbantur. Italiam inter et Galliam, iter longum supererat, non jam difficile, nec passibus haud pervium.

CAPUT III

QUID NOVI DE VERBIS NOMINIBUSQUE DECLINANDIS AC DERIVATIS NOTANDUM SIT.

Nondum in libro Marcelli reperire est illas nominum verborumque formas, quae maxime post annum CDL a scriptoribus receptae sunt, v. g. apud Fredegarium *vellens* pro *volens*; antiquioresve formas *sia* vel *siam* pro *sim*, aut praesentes conjunctivos in *em* aut *im* pro *am* desinentes, imperfectisque clausulam *bit* vel *bet* pro *bat* impositam. Necdum etiam *mus, tus*, *sus* in cunctis casibus usurpabantur pro *meus*, *tuus*, *suus*. Hoc enim nunquam, quom de Marcello res agitur, obliviscendum est, eum, etsi proximus barbaris temporibus barbarorumque regnis vixit, tamen Theodosio regnante ac regente Gallias, in studium suum incubuisse; vitam egisse eumdem, non in Francorum villis regalibus, sed intra Burdigalenses professores, viros eruditissimos; neque illum barbarorum consuetudine a rectis usibus deflexisse, quippe qui in Gallia jamdudum a Romanis capta neque adhuc a barbaris devicta subactaque vitam egerit, hoc est quom maxime Galli pure eleganterque loqui potuissent. Barbari imminebant, sed tantummodo imminebant, nec cuiquam in Gallia stilum sermonemque impetu suo turbaverant; nec jam Galli, nisi

genere, sed lingua neutiquam supererant. Itaque, quod Marcellus, consilii sui necessitatibus adductus interdum voces vulgo usitatas aut Gallis ipsis proprias retinuerit, haud mirum; nec verisimile est illum ab hac culpa conatum esse ut abhorreret : his vocibus usus est, quibus ei *de Medicamentis* scribenti opus esse videbatur. Sed in declinandis nominibus vel verbis, qua de causa ab usu communi optimorum scriptorum deerravisset, qui puro sermone imbutus erat a puero, et quasi nutritus ?

Quidquid id est, haud semel deerravit; sive neglegentia lapsus, praesertim quom parvam scripturae curam, nisi fortasse in praefatione, contulerit ; sive reipsa plus aequo impulsus ut, quorum gratia scriberet, eos ipse scribendo facilius sequeretur atque imitaretur, saepe formas *deteriores* receperit ; eas potius dicamus ab optimo usu paulatim esse delapsas, aut analogia cum aliis verbis, aut pronuntiatione prava. Hoc saltem mox nobis certius erit, Marcellum, quoties peccaverit, ita peccavisse, ut ad simpliciorem declinationis usum, deletis exceptionibus, plerumque redierit ; priscis enim declinationibus adeo, Graeculis irruentibus, variatis multiplicibusque et cognitu difficilibus, ultro vulgus Romanum ac maxime provinciales simpliciorem formam, quoad poterant, saepiusque ut ita dicam quam opus erat imponebant. Quem fugit quantis pueros difficultatibus tertia nominorum verborumque declinatio nunc quoque sollicitet? nec minus masculinorum femininorumve nominum in *us* desinentium ? Et tamen omnia haec in libro *de Medicamentis* haud plurima visa sunt.

Quod ad primam [1] nominum declinationem spectat, nihil sane notandum est, nisi quomodo nomina latine transcripta graecas cum latinis formis — latine ipsa scripta — contaminarint; ita, nomina in *e*, *es*, desinentia modo graecam retinuerunt, modo latinam formam receperunt :

P. 56, 2 : *ge* = γῆ ; p. 56, 1 : *gen* = γῆν ; p. 55, 17 : *ges* = γῆς.
P. 311, 32 : *colicae* ; p. 312, 4, *colices*.
P. 222, 18 : *epatice*.
P. 77, 11 : *escharas* (Scrib.).
P. 132, 16 : *haec arteriace*.
P. 183, 2 : *herba quae Britannici dicitur*.

Quo novissimo exemplo sine controversia probatur medicos eruditosque homines graece potius herbas remediaque appellavisse, non secus ac nunc medici vulgari sermone uti noluerunt, aut quo doctiores ita viderentur, aut quia, quod nostri de latino sermone, ipsi de graeco censuerunt, scilicet alienum sermonem magis proprium esse ad nominandas res ab eruditis edoctas. Cf. item :

P. 296, 26 et pass. : *aloen*, *aloes*.
P. 115, 33 : *quas Graeci aphthas vocant*.
P. 193, 5 : *mastiche*. — Ibid., 24 : *mastiches*.
Pass. : *myrrae*.

Ad summam nullam videtur Marcellus rationem certam esse secutus.

De secunda declinatione haud aliter se gessit, modo

[1] Quom Gallos constet nominum declinationibus usos esse magis magisque simplicibus, notandum est Marcellum (p. 54, 31) *cicida*, *cicidae*, pro *cicis* inscripsisse, et (p. 63, 28 ; 92, 16 ; 334, 2, etc.) *lepida*, *epidae*, pro *lepis*. Cf. Isid. *IV Orig*. 8, 11.

graecorum, modo latinorum usui se accommodans, v. g. :

P. 55, pass. *sphagnu, poliu, lithu gagatu, chalcu, chalcu cecaumenu, miltu, iu.*
Sed ibid., pass. : *dictamni, psimithii, galbani, chalcanthi, lithargyri* [1], etc.

Num *lithargyrum* vel *dictamnum* dudum magis quam *gagatum* et *sphagnum* pro remediis Latini usurpabant ? incertum. Saltem, in prima declinatione, omnia graeci sermonis nomina in α desinentia latine declinantur, nomina in η nunc latine, nunc graece ; sed hic ne haec quidem differentia superfuit. Multa autem nomina, videlicet analogiae causa ad secundam declinationem transierunt ; ita :

P. 52, 18 : *cornum* ; p. 186, 12 : *corno* ; p. 36, 28 : *corni* (Pl.).
P. 172, 29 : *ficorum* (fructuum).
P. 31, 29 : *vaso* (abl.) ; p. 95, 10 : *in vaso* (p. 102, 4 : *in vase*) ; p. 147, 8 : *vaso* ; ibid., 26 : *vasi* ; p. 249, 14 : *in vasis*, etc.

Horum autem nominum sequentes formas assidue notavimus :

nom. acc. s. : *cornum* (p. 52, 18 ; 236, 1 ; p. 121, 7 ; p. 129, 25).
g. : *corni* (p. 36, 28 (Pl.) ; 129, 3 ; 296, 27).
abl. : *corno* (p. 186, 12).
nom. s. : *ficus*.
acc. : *ficum*.
g. : { *fici* (p. 121, 6 ; 234, 13 ; 287, 10 ; 293, 17 ; 312, 23).
{ *ficus* (p. 73, 29 ; 348, 13).
abl. : { *fico* (p. 105, 33).
{ *ficu* (p. 135, 12 ; 178, 32 (Pl.); 297, 25 ; 358, 4).

[1] Fieri quidem potuit ut librarius, non Marcellus, latinis litteris haec transcripserit ; tamen sic in Laudunensi cod. atque in Cornaria editione inscripta haec nomina reperias.

nom. pl. : *ficus* (p. 112, 19 ; 162, 23).
acc. : *ficus* (p. 134, 11 ; 157, 26).
g. : *ficorum* (p. 172, 29).
abl. : *ficis* (p. 130, 24 (Scr.) ; 300, 27) ;

adeo ut casus recti omnes ad quartam declinationem pertineant, soli casus obliqui tum ad secundam pertineant, tum ad quartam.

nom. s. : *nardostachys*.
g. : { *nardostachys* (p. 212, 5 ; 215, 17). *nardostachi* (p. 219, 26).
nom. s. : { *ossifraga* (p. 269, 27 : *avis ossifragae*). *ossifragus* (p. 205, 3 : *ossifragi venter ;* 299, 5 : *intestinum ossifragi*), gallice : *orfraie*.
nom. acc. s. : *ossum* (?) [1].
g. pl. : { *ossorum* : p. 124, 6 (Pl.). *ossuum* : p. 353, 30, arch.

Vasum, — sic enim et veteres [2] scripserant, et recentiores[3], vulgari utentes sermone, receperant — usitatum habuit Marcellus ; sic :

g. s. : *vasi* (p. 147, 26) ;
abl. s. : *vaso* [4] (pass.) ; sed *vase* (p. 102, 4 ; 167, 1 ; 291, 9 ; 324, 14) ;
abl. pl. : *vasis* (p. 249, 14) ;

ceterum *vasibus* prave scripserunt fere soli Cassianus, Gargiliusque Martialis.

Tertia declinatio quadam ex parte rectiorem usum servavit, quae nusquam communes praebeat differen-

[1] Veterrima recentissimaque forma, quam grammatici tradiderunt.
[2] Cf. Charis. 146, 26 ; Caper (VII, Keil), 112, 3 ; Mart. Cap. 3, 295. — Plaut. *Truc.*, 54 ; Cato ap. Gell. XII, 23, 1 ; in accus., Fab. Pict. ap. Non. 544. 26.
[3] Vitruv. VIII, 1, 5 ; Petron. 51, 3 ; in acc/ Vitruv. 9, *Praef.* 11.
[4] Cf. Colum., II, 2, 20 ; Vitr., Plin., Scrib., Gell., Gorg. Mart.

tias, nec saepe singulares ; tamen genetivus nonnunquam pro nominativo accipitur :

glutis (p. 295, 19, ἅπαξ) ;
intercutis (p. 213, 21 ; 226, 21) ; antiquior forma ; cf. Plaut. *Men.* 5, 4, 3.
salis (p. 151, 19, in formula quadam) ;
stirpis (p. 350, 27).

Contra videtur genetivus nominativo similis in *is* desinenti, praecipue in nominibus e graeco sermone translatis :

iris (p. 185, 12) ;
troglodytis (p. 103, 13), etc.

Reperias *infantum* in genetivo plurali, p. 49, 29 ; *leucomatis*, p. 85, 2, dat. pl., quod minime mirum sit, nisi cum aliqua forma dativi in *-bus* desinentis forma haec esset conjuncta : « *leucomatis et cicatricibus ;* » alias :

p. 183, 15 : *exanthematis ;*
p. 338, 21, sqq. : *condylomatis ;* cf. p. 353, 33 ;

sed, p. 354, 16 et 23 : *condylomatibus*, sine causa, ut videtur. Quo et hoc apparet scriptores, vulgusque antea, quom nominativus plur. in ă desineret, huic casus obliquos in *orum* et *is* libentius aptasse ; quapropter et *ossorum*, *vasorum*, etc., dicta sunt. Aliter apud nos actum est, confusis nominativis pluralibus cum nominativis sing. in ă quoque desinentibus; sed eadem utrique rei fuit ratio, scilicet formam a norma abhorrentem in formam cum norma congruentem commutari.

Saepenumero ablativi casus in *e* et in *i* inter se permiscentur :

mare, p. 301, 25 : « *in medio mare*[1]. »

{ *igne*, p. 167, 1 ; 181, 35 ; 367, 1 ; 362, 15 ; 365, 11 et 36.
{ *igni*, p. 169, 17 ; 209, 21 ; 376, 26 ; 365, 18, et, in superstitione quadam, *sine igni*, p. 295, 22.

{ *febre*, p. 195, 8 ; 187, 3 (Scr.) ; 272, 3 (id.) ; 273, 27 (id.).
{ *febri*, p. 153, 10 ; 269, 19 ; 319, 20 ; 322, 17.

Item accusativi :

{ *tussem*, pass. p. 153, sqq. ; 198, 16 ; 211, 30 ; 303, 11 (Scr.).
{ *tussim*, p. 154, 11 (Scr.) ; p. 196, 33.
sitem, p. 278, 9.

Mire declinantur *sinapi*, *cocleare*, *jecur* :

sing. nom. acc.	:	*senapi, sinapi ;*
gen.	:	*senapis ;*
abl.	:	*sinape.*
sing. nom. acc.	:	*cocleare, cocliare ;*
abl.	:	*cocleare, cocleari ;*
plur. nom. acc.	:	*cocliaria ;*
gen.	:	*cocliarium.*
gallice	:	*cuiller.*
cas. dir. sing.	:	*jecur ;*
gen.	:	*jecoris, jocineris ;*
dat.	:	*jocineri, jecori ;*
abl.	:	*jecore.*

Semis non declinatur, p. 198, 20 ; cf. hodierno die in germanica lingua omnia ponderum mensurarumque nomina.

Quartae declinationis haec praecipue notanda sunt : *Cornu* in genetivo casu semper recteque fit *cornus* (p. 46, 27 ; 125, 10 ; 186, 16 ; 292, 13 (Scr.) ; 296, 15 (Pl.) ; *veru* feminini fit generis :

p. 110, 29 : *verum ferream candentem ;*

[1] Legitur et p. 85, 14 : « *Cepe longa.... cicatrices miro effectu* inunctioni *adhibita extenuat*, » ubi *inunctioni* dativus sit an ablativus incertum est.

rhus non declinatur, praecipueque in genetivo casu usurpatur, p. 278, 23 ; 296, 6 (Scr.), etc. ; nomen graecum *misy* ita declinatur :

nom. acc. : *misy*.
gen. : *misyos*, p. 184, 22 ; 368, 14. *misui*, p. 71, 18 (Scr.) ; p. 78, 19 (Scr.) ; 92, 19 ; 93, 21 ; 118, 17 ; 133, 7, etc.
abl. : *misy*, p. 116, 28, cod. *misui*.

Reperias et in genetivo *misy* :

p. 41, 27 : *Misy libra una... mirabiliter vertiginem sedat.*

De nominibus quintam sequentibus declinationem, nihil notandum, quippe haud insuetus est in numero plurali usus formarum *speciebus* et *specierum*.

Parum distant inter se adjectivorum nominumque declinationes ; hoc praecipuum est, scilicet incerta in ablativo forma adjectivorum tertiam declinationem sequentium. Haec enim ratio fuit, si inter se contuleris plurima quae nobis Romani tradiderunt exempla : sola ablativo in *i* desinente praedita sunt ea adjectiva, quorum radix vocali terminatur, atque haec : *memor*, *uber*, *inops*, *degener*, *trux*, *supplex*. Marcellus autem passim *in vase duplici* aut *in duplici vaso* scripsit ; item, p. 311, 2 : « *duplici mensura.* » Comparativorum ablativus semper in *e* secundum normam desinit ; namque *a fortiore*, *a posteriore* dicendum esset, non *a fortiori*, ut paulatim usus constitit : *interiore*, *superiore*, *priore*, etc.

Marcellus dixit semper, secundum legem grammaticam :

p. 301, 28 : *pari modo ;*
p. 160, 30 et pass. : *impari numero ;*
p. 378, 32 : *pari mensura ;*
p. 378, 36 (Pl.) ; *pari pondere,*

et recte quidem, mea sententia, quom genetivus in plurali numero *parium* sit et *imparium*, veraque radix, *pari*.

Sed nulla fuit Marcello regula scribendis in ablativo casu participiis vocis activae, vel adjectivis similibus[1] :

recenti (p. 85, 32 ; 94, 8 ; 105, 19) ;
hianti (p. 178, 1) ;
sequenti (p. 277, 30) ;
calenti (p. 351, 31) ;
praesenti (p. 372, 6) ;
{ *ferventi* (p. 104, 20 ; 110, 3 ; 149, 30 ; 349, 13 ; 295, 10).
{ *fervente* (p. 352, 1, Pl.).
{ *candenti* (p. 283, 21 ; 355, 24) ;
{ *candente* (p. 265, 14) ;
occidente (p. 331, 24) ;
habente (p. 270, 8 ; p. 303, 22, Scr. ; ibid., 26, id.).

Hoc quidem asseri possit in adjectivis formam in *i*, in verbis formam in *e* esse propositam ; quae norma optimis fuit scriptoribus ; sed quomodo justificari possit :

p. 265, 14 : *patella candente?*

Austerus et *sincerus* quadam ex parte sunt heteroclita :

p. 120, 25 : *hoc medicamentum primum* auster *est* (Scr.).
p. 136, 20 : *temperatur vino* austere *bene calido.*
p. 166, 13 : *semen salicis ex vino* austere *sumptum.*
p. 273, 1 : *si* sincere *corpus fuerit...*
p. 329, 4 : *facit bene elaterium* sincere.

[1] Haec est recentiorum scriptorum consuetudo, maximeque Hieronymi. Cf. Goelzer, *Latinité de S. Jérôme.*

Nostras in neutro genere *nostrate* fit :

p. 214, 6 : *papaver* nostrate *decoques in aqua,*

quod priscum est et antiquius, si Prisciano fidem adhibeas.

Duum dixit in genetivo plurali bis[1] Scribonius, Marcellus ipse ἅπαξ[2], ceterum *duorum*.

Totus toto fit in dativo, bis tantummodo.

p. 34, 11 : *toto corpori perducta ;*
p. 37, 8 : *toto capiti laborantis infunde.*

De comparativis et superlativis nihil fere dicendum :

p. 47, 18 : *austerissimo ;*
p. 54, 5: *maturrimorum ;*
p. 228, 1 et 17 : *digestissimus ;*
p. 367, 3 : *subactissimum.*

Nec minus verba juxta legem declinantur.

Heteroclitum est *ungere* vel *unguere* (cf. p. 17), quod modo *ungueo*, modo *unguo*, vel modo *ungeo*, modo *ungo* scriptum est in libello *de Medicamentis*, sed rarius secundam sequens declinationem : quod vulgare dicitur a grammaticis : Probi *catholica*, p. 1484, Putsch ; Remmii Palaemonis, Tib. regnante, *Ars gramm.*, *p.* 545, 24, *Keil.*

Mulguntur semel, p. 240, 19, legitur pro *mulgentur* ; inde profecto traducitur : *mouse* in nonnullis Galliae nostrae dialectis. Scilicet Galli facillime duas illas declinationes miscebant, ut manifestum est, si formas inspexeris :

[1] P. 173, 9 ; 225, 26. — [2] P. 277, 8.

{ *percevoir, pouvoir, vouloir, ravir, fouir*, etc
{ *percipĕre, potĕre, vellĕre, rapĕre, fodĕre*, etc.

Sic *rapio rapĭs*, factum est *rapio, rapīs*, infinitivumque *rapire* denique superfuit ; item, sed majore cum deerratione, *lino, linis, linire*, paulatim *linio, linis, linire* factum est, fortasse per analogiam cum *lenio, lenire ;* sed praesertim in forma *illino :*

p. 38, 29 : *illine ;*
p. 51, 28 : *obline ;*
p. 52, 11 : *illines*, etc.
p. 39, 10 : *illinire ;*
p. 178, 36 : *illiniuntur*, etc.

Ipsi dederant exempla scriptores quorum locos Marcellus seu transcripsit, seu fideliter est imitatus :

illinies : sancta Scriptura vetus, Theod. Prisc., Vegetius.
illinitur, illiniuntur : Ps.-Plinius.
illinirentur : Sulp. Severus.
illinire : Celsus, Columella.
illiniri : Tertullianus, Gargilius.
illinitus : Theod. Prisc., Ps.-Plinius, Apulej. *Herb.*
illiniendus : Theod. Prisc., Vitruvius.

Sic quoque passim reperias :

admiscunt, p. 127, 31, lapsu calami scriptum (?) ;
detergit, rarior forma, nec IV p. Ch. sec. antiquior ;

cui proximas usurpavit Claudianus, *cons. Mall. Theod.*, 191, *detergis* et *in Eutrop.* 375, *deterguntur*. Quae ambo carminibus perficiendis videlicet erant necessaria.

Perfecti notandae sunt barbarae formae :

desiderit, p. 105, 18 : cod. Laud. et Cornaria editio ;
residerit, p. 218, 31 ; 305, 29 (Scr.) ;
ederit, p. 269, 24.

Hic lucide apparet quam fuerint, quom provinciales ceteri, tum Galli, propensi ad declinanda juxta formam

eamdem quaecumque inter verba vel nomina quadam ex parte haud erant inter se dissimilia. Inde omnes heteroclitae declinationes.

Parvi erit momenti, si formas futurorum in *-bere* numeraverimus, quae nec plures numero sunt, et vocis passivae solius *-ris* in *-re* commutant. Item de formis *cribrare* vel *criblare* nihil ad rem interest, nisi quod hic exemplum videbis litterae *r* in *l* mutatae, si durior vel asperior fuerit pronuntiatio :

cribrum, gallice : *crible*.
apostolum, gallice : *apostre*.

Liquida in liquidam transmutatur.

Frequentativa verba, licet derivatione potius quam declinatione sua vulgo conspicienda sint, hic haud absurdum erit inspicere[1], propterea quod, correptione magis ac magis crescente vocabulorum in gallico sermone, paulatim in locum verborum recte declinatorum irrepserunt ; sic :

perversare : p. 295, 34.
praecantare : p. 91, 7 ; 142, 19 ; 313, 4 ; 379, 21, etc.
rejectare, gallice : *rejeter* : p. 203, 24.
tostare : p. 113, 17 ; 256, 33 ; 289, 5.
ustulare : p. 330, 15 ; 334, 11.
vectare : p. 295, 8.
venditare : p. 305, 8 (Scr.).

Nam, quod verba grammatici nominant, seu iterativa, seu inchoativa, seu meditativa, seu perfecta, haec sunt, non *genera*, sed *formae* verborum, sicut eas nominavit

[1] Cf. p. 52, sub fin. et p. 38, not.

Macrobius in libello *de differentiis et societatibus graeci latinique verbi*, vocabulaque haec :

caleo,
calesco,
calefacio,

tanquam unius declinationis formae diversae, non ut diversae declinationes accipi debent et numerari. Ceterum per analogiam plurima verba jam in *-are* terminabantur (cf. p. 53), ita ut nunc in gallico sermone verba in *er* sint multo plurima :

allactare, *allaiter* ;
carminare, *charmer* ;
cicatricare, *cicatriser* ;
clarificare, *clarifier* ;
confortare, (*ré*)*conforter* ;
excaldare, *échauder* ;
manducare, *manger* ;
nitidare, *nettoyer* ;
pectinare, *peigner* ;
piperare, *poivrer* ;
ruclare, *râcler*.
similare, *sembler*.

Nempe simplicia verba, sive breviora, sive usu, ut ita dicam, trita atque extenuata, paulatim cedebant prae verbis in longitudinem magis patentibus, adjecta particula plerumque eadem, unde simplicior in diem declinatio fiebat, prout verbum ipsum minus simplex evadebat. Quapropter atque isto modo prisca declinatio jamjam rariores praebebat effectus, eoque in hanc viam processum est, ut recta olim declinatio jam contra normam, declinatio contra normam jam recta esse videatur : recta, verborum ut : « *viser*, *capter*, *accepter*, *débiter*, *créditer* ; » contra normam, verborum : « *voir*, (*re*)*cevoir*, *devoir*, *croire*. »

Deminuta[1] quoque nomina jam florent, Marcellusque

[1] Semel, p. 69, 15, *unctum* pro *unguento* ponitur : *sine sale*,

usus est plurimis, sive revera minorem rem exprimere velit, sive, ut saepius evenit, simplex nomen vetustate ceciderit, ut *auris*, cujus in locum jamdudum florebat *auricula*, gallice : *oreille*. Sic gallice *soleil*, *sommeil*, *nouveau*, *lentille*, *mamelle*, a *soliculo*, *somniculo*, *novello*, *lenticula*, *mamilla*, defluxerunt. Saepissime hujusmodi substantivis aut adjectivis Marcellus in scribendo usus est :

auricula atque *auris* pariter recepta ; g. : *oreille*.
aculea [1], g. : *aiguille*.
capreolus, g. : *chevreuil*.
carbunculus, g. : *escarboucle*.
cerebellum, g. : *cerveau*.
cicerculum.
clavulus et *clavellus*, g. : *clou*.
conchula, g. : *coquille*.
craticula.
doliolus et *doleolus*.
febricula.
genicula (Pl.), g. : *genouil*, *genou*.
hastula.
lauriculus.
lenticula cum *lente* pass. permixta ; g. : *lentille*.
mamilla, g. : *mamelle*.
massula.
membranula.
nuculeolus, ex correptione *nuculei*, gallice : *noyau*.
pauculum, *pauxillum*.
palmula.
pastilluli, *non tamen grandes*, p. 163, 32.
pinnula.
pulticula.

sine ullo uncto, gallice haud raro sic a participiis nomina facta sunt, ut : *dette*, *source*, *vente*, *percée*, quibus fateor non corpora significantur. *Unctum* sic apud Apulej. 3 *Met.*, 24, Veget., 5, *Veter.* 70, 5, Pelag. 2, p. 22.

[1] Notat Macrobius, *op. cit.*, deminutis idem esse genus ac plenis nominibus : *auris*, *auricula* ; *genu*, *geniculum*, excepto tamen *aculeo* ab *acu* ; quo satis constat *aculeam* ignotam esse Macrobio, aliquot ante annis.

ossicula.
ollula, gallice : *ouille.*
ramusculus.
ranuncula, gallice : *grenouille.*
reniculus.
specillum.
sorbitiuncula.
testiculus cum *teste* pass. permixtus ; gallice : *testicule.*
tunicula.
varulus.
vulpecula, gallice : *goupil.*
vasculum, gallice : *vasque.*
vermiculus.
ventriculi, gallice : *ventricule.*
unguiculus, gallice : *ongle,* pro *ungui.*

Cunctis, fateor, in sermonibus qui, latina lingua Barbarorum impetu collapsa, in lucem evaserunt, vocum hujusmodi haud rarus est usus; tamen in gallica lingua, cum per pronuntiationem mox fines vocabulorum ceciderint, singulariter deminutis vocibus sine ulla deminutionis significatione utuntur. Hoc maxime de Marcello animadversione dignum est, quod ipse jam libentissime, ut videtur, nec sine ullo certo proposito, *lentem* dixit et *lenticulam, aurem* et *auriculam* : cujus rei jam exempla proponemus. Sic,

{ p. 279, 18 : *convenit* lenticula, *ptisana* ;
{ p. 279, 23 : *praeterquam ad* lentem *et ptisanam*

p. 131, 14 : *papaveris... capita quam plurima* vaso *fictili coiciuntur atque aqua superfunditur tanta ut supersint de* vasculo... *tres digiti* ; *haec ubi triduo macerata fuerint, eodem* vaso *incoquuntur.* (Scr.)

p. 85, 6 : *Sevum.* . auribus *infusum optime sanat. Rafani quoque, id est radicis quae manducantur, succus infusus* auriculae *dolenti infinitum prodest.*

Ceterum sic positae sunt utraeque formae ineunte cap. VIII, si ordine inspexeris : *aurem, aures, auricu-*

lae (dat.), *aurem*, *aurem*, *aures*, *auribus*, *auriculae* (id.), *auribus*, *auriculae* (id.), *auribus*, *aurium*, *auribus*, *auriculae* (id.), *aurium*, *auriculas*, *auris* (gen.), *aure*, *auriculae* (gen.), *auris* (id.), *auricula* (abl.), *auriculis*. Nusquam dativus singularis *auri* legitur, sed ceteri casus utriusque nominis pariter reperiuntur. Num putandum est Marcellum ultro deminutam formam tum scripsisse cum lucidus ordo requireret, ita ut nullus jam dubitationi foret locus? Sed cur hinc *aurem*, illinc *auriculam* scriberet, quom ambae voces aeque faciles sint intellectu? Immo, cur formae *aure* fòrmam *auricula* nonnunquam praeferret, etsi erat obscurior? Verisimilius est neutram ei formam acceptiorem, neutram pejorem esse visam. Quidquid id est, jam et jam pridem, sed tum maxime deminutae voces pariter cum plenis, quod ad proprias concretasque voces attinet, habentur et scribuntur.

Ita Marcelli aequales, Marcellusque in primis, consciusne rei an imprudens, incertum, viam et ostendit et calcavit. Atque hoc ego summa vi contenderim, quom de nominum verborumque formis res agatur a quodam scriptore usitatis, non in hoc majus studium esse conferendum, quoad recte vel sine barbarismis scripserit; sed hoc maxime studendum esse, quibus maxime formis et quo vergentibus librum suum a ceteris majorum libris illustraverit et discreverit. Quod si hac nos mente libellum Marcelli perspexerimus, minime dubium est quin ille, et simplicioribus factis declinationibus, et particulis sub finem vocabulorum appositis, jam, quantum latine fieri posset, vere gal-

lice, Theodosio regnante, locutus sit. Sed, si voces ipsas, antequam ad syntaxim veniamus, inspexerimus, vide quanto usus Marcelli usui nostro jam similior appareat.

Namque, ut sententiam verborum *mittere* et *facere* omittamus, de quibus suo loco satis antea dictum, perspice quot vocabula gallicum temporum nostrorum sensum adepta sint :

albumen ovorum,
battuere,
cervesia,
concretio,
deforis,
focus,
incommodare,
lactaris capra,
medietas,
pasta,
periodicae febres,
quindecimus,
rancor stomachi,
sanguisuga, etc.,

sensumque hunc adepta sint, eadem terminatione servata. Quod si forte ita factum est, mira admodum fuit concursio.

Sed hac mutatione genus etiam nonnullorum nominum adulteratum est, quod Galli postea haud semel acceperunt :

p. 279, 1 : *cibi prosunt torminosis hujuscemodi : palumbi, anates,* meruli, *turdi...*

Merulus pro *merula*, gallice : *un merle*. Quod vicino vocabulo *turdi* hoc effectum sit, puerile foret contendere, quandoquidem unicam exceptionem sermo cunctus non servavisset. Item :

p. 380, 13 ; 381, 24, etc. : *speculare* pro *specularis*, masc. generis, ponitur [1] ;

[1] Cf. Senec. *Prov.* 4.

p. 42, 29 (Pl.) : *vitellum ovi* ; alias pass. *vitellus* [1] ;
pass. *araneus* pro *aranea*, gallice : *aragne* ;

sed praevaluit genus *muris* in vocabulorum conjunctione:

p. 145, 16 : *mus araneus*,

ubi *aranea*, sicut adjectivum quoddam desinens genus proprium facile amisit ; et quidem sic paulatim actum est, quom

ἀράχνη in *ara(ch)neam*,
aranea in *araneatam* vel *araniatam*,

gallice : *araignée*, evasit, adjectivis vicissim formatis. Sed quom in his verbis, *mus aranea*, gallice : *musaraigne*, *araigne* jam non adjectivum, sed vere substantivum esse videretur, ita factum est ut, eamdem normam secuti, Galli olim

mus araneus, masc.,

nostri

musaraigne, fem.,

dixerint brevique scripserint. Pariter *ossifragus* in *ossifragam avem*, quasi adjectivum esset *ossifragus*, mutatus est ; sed Galli *orfraie*, fem., retinuerunt.

Ita Galli antiqui, non secus ac recentiores legibus quotidiani sermonis paruerunt, quibus hoc praescriptum est, nulla exceptione facta, ne ullo modo, *nec strictius usitata lege, nec gravius infracta aures vexentur et sollicitentur*. Hanc legem latinus optimi saeculi sermo, utpote solum scriptus, plerumque haud novit ;

[1] Cf. Theod. Prisc., 1, 10, atque Apic., 4, 1 : « *Ovorum vitella.* »

quo et ipse mox periturus erat, vel saltem facillime corrumpendus atque a strictiore norma delapsurus.

De genere *corticis* diu saepissimeque ambitum est, v. g. a Quintiliano in primo *de institutione oratoria* libro; feminino usus est Marcellus :

p. 121, 10 : *papaveris capita et cortex... vino incocta* (?).
p. 127, 22 : *radicis... cortex arefacta et contusa.*
p. 153, 21 : *contunditur* haec *cortex.*
p. 227, 9 : *quas sublata cortice diligenter siccabis.*
p. 266, 5 : *corticem nitidatam.*
p. 289, 30 : *verbasci radicis corticem detrahito, ejusque contritae...*
p. 334, 26 : *folia aut cortices siccas.*

Lacrimus bis scriptus est pro *lacrima*, semel, p. 91, 7, in formula carminis, ceterum pro *albo ovi* significando :

p. 65, 6 : *ex ovi incocto albo, id est* lacrimo.

Hoc autem *lacrimam* bis appellavit :

p. 376, 25 : *deinde oleum roseum vel* lacrimas *ovorum admiscebis.*
p. 377, 17 : *mittes et ovorum quatuor* lacrimam.

Num, p. 65, 6, similitudine soni quadam, nisi forte scribae vel auctoris calamo labente, *lacrimo* pro *lacrima* scriptum erit ? Quod eo veri similius est, quod nullo modo forma haec possit neque absolvi neque excusari.

Myrta pro *myrto* frequens : p. 108, 29; 134, 33; 143, 21 ; 196, 1, etc.

Ostreum, praesertim pro medico vel empirico graeco sermone interdum utente, minime mirum est, quom Graeci ὄστρεον dicant, Latinique *ostrea*, *ostreae* dixerint

confusione quadam eadem fere atque Gallorum errore dicentium *la tempe*, ex latino *tempora temporae* pro *tempora temporum*.

Ros semel in masculino genere fuit usurpatus :

p. 36, 24 : *matutinum rorem* (Pl.),
sed, p. 76, 16 : *ros matutinum*,
p. 67, 14 : *ros caeleste*,
p. 281, 9 : *ros marinum sive rhus orientale*,

quod est arboris genus, vulgo *rosmarinus* nominatae. Cf. p. 286, 5 ; 82, 29 ; 43, 21.

Sal neutri generis ter acceptum esse videtur, semelque etiam in nominativo cum forma *salis*. De his nihil dicendum, quae contra scriptorum optimorum consuetudinem formata sunt vel declinata ; immo, dum paulatim genus neutrum obliteratur atque utrique ceterorum cedit, contra legem idem genus faciunt redivivum. Quam ob causam ita evenerit, nobis incertum, rarioraque sunt hujusmodi exempla, quam ut his legem rationalem requiramus.

Quam tandem conclusionem huic studio afferemus? Quae Marcellus contra legem declinaverit, si vocabula a sermone graeco translata omittamus, sane pauca fuerunt, neque infitiandum est illum, etsi haud tam puras quam Cicero formas nominum verborumque servavit, tamen haud multum ab optimorum scriptorum usu abhorruisse. Hoc autem magis adnotandum est, Marcellum iis libenter usum esse, sub finem vocabulorum, particulis, quas Gallia paulo post in nova lingua retinuit ; atque, ut Ronsardus apud nos Musa usus est *in Gallia Graece Latineque elocuta*, ita illum, in Gallia

vetere atque admodum Latina, jam recentiorem sermonem et scripsisse et quadam ex parte esse locutum. Hac jam videtur Marcellus, etsi etiamtum Latinus, jam tamen Gallicus, non Afer aut aliunde provincialis, exstitisse, si cum sermone nostro sermonem ejus contuleris; quod eo tutius asserendum esse potest, quod non ex proposito hac aut illa forma usus est Marcellus; at, quom scriberet, non ad scribendum, sed ad docendum scripsit, non pro literatis potissimum, sed pro omnibus, nobilibus et pauperibus, magisque ad summam pro rudibus quam pro eruditis, nec locutus est secundum illud aut illud exemplar, sed simpliciter et clare, ut a quam plurimis libellus ipsius legeretur, lectusque intellegeretur et prodesset. Unde multo magis *noster* est, quam Burdigalensi cognomine codicibus praeposito, duodecimve aut tredecim Celtorum ad linguam pertinentibus vocabulis hic atque illic prorsus inconsulto sparsis: nam quaecumque res verbis simul et factis vera esse comprobatur, ea verbis male, factis valide pro vera ostenditur, praedicatur, demonstratur. Porro Gallorum priscorum vocabula *verba sunt et voces;* derivatorum delectus nominum, vel generum commutationes, haec res, haec argumenta, haec summa fide digna sunt testimonia.

CAPUT IV.

QUAE SIT IN LIBRO MARCELLI USURPATA SYNTAXIS.

Quas leges Marcellus in vocabulorum conjunctionibus secutus sit; — quibus usus sit, pronominum instar, adverbiis; — quam casuum praepositionumque rationem habuerit, dum nunc priscos casus, nunc casuum loco praepositiones quasdam usurpat; — qui factus sit in libello ejus praepositionum ipsarum delectus, qui *vocum* in verbis, qui temporum, qui modorum, qui conjunctionum; — haec diligenter, vel potius quam diligentissime perspiciemus, eque perceptis universales leges, ut ita dicam, sermonis hujus explanare conabimur.

Tria de pronominibus, reperias, quae notatione in primis digna sint : quarum rerum una est ea consuetudo Marcelli, qua certis utitur pronominibus brevissimis, ut sententiam totam lectori iterum commemoret, luminisque causa repetat ; sic :

p. 51, 6 : *cinisque*, ei *adjecto melle.....*

p. 76, 31 : *pulei flores destringe*, eosque *madefacito*, ...*atque* eo *panni partem line...*

p. 77, 1 : *succum cardonis, succum urticae... aequis mensuris* ista *conjunges, et addes* his *sapae modicum... atque* ita *oculos* inde

superlines, ut modicum ingrediatur eos *et delacriment, continuo sanabuntur.*

p. 80, 21 : *lotium et piper* illud (id est : supra dictum).

p. 85, 23 : *perdicis unius fel...* haec omnia *teres.*

p. 86, 22 : *herba... illita oculis, sigillationes livoresque* eorum *discutit.*

p. 94, 17 : *aceti duas partes confusas decoques... et longius* ea *ab igne removebis.*

p. 97, 14 : *mala granata duo, quibus coriarii utuntur, et quia semper acida sunt..., rhoas oxias* haec *Graeci dicunt.*

p. 107, 3 : *herbam, quae Gallice...,* eam *teres.*

p. 111, 13 : *si feminae sanguis... defluat, mamillae* ejus *vinciantur.*

p. 120, 32 : *hoc medicamento si quis ter in mense dentes perfricuerit, dolorem* eorum *non experietur.*

p. 121, 20 et 30 : *rosae floris quod est luteum den. VII,* etc., his *in unum mixtis... uti oportet.*

p. 172, 10 : *cupressi pilulae tritae... folia autem* ejusdem...

p. 244, 21 : *haec ipsa,* potionem ante dictam significat.

p. 244, 1 : *malagma ad contusionem lateris,* idem *facit... ad... praecordiorum duritiam et ad dolorem* eorum *vere convenit...*

p. 289, 18 : *rana viva, si... adponatur, in* eam *vitium transire dicitur.*

p. 362, 16 : *quae, cum fuerint igne liquefacta, colabis* ea..., etc., etc.

Breviora de προλήψεσι vel anticipationibus dicemus, quae in omnium temporum sermonibus facile reperias : v. g., pronomina, conjunctivis antecedentia, plerumque expressa :

p. 251, 16 : *admiscebis* his *quae igni remittenda sunt...*

p. 251, 26 : *atque* his, *quae colata fuerint, desuper addes...*

p. 251, 31 : *ex* ea *parte, qua quis nesciam patitur...*

p. 322, 10 : *prodest etiam* his, *quibus... liquores... subsistunt.*

p. 322, 12 : *item* his *prodest, qui videntur...*

p. 337, 3 : *maturescentibus paniculis* tale *medicamen adhibebis, id est lenticulam,* etc.

p. 100, 32 : his, *qui surdi sunt...*

p. 105, 27 : *coques* ita *lente, ne uratur.*

p. 105, 34 : his, *qui graviter audiunt.*

Nonne putandum est sententias illas more nostro fractas esse, fractasque ita ut nec longior mentis con-

tentio a lectore requiratur, nec majores ad colligenda omnia vel intelligenda singula conatus praestandum sit? Jam discutitur et in partes vel etiam particulas sententia resecatur: quis enim auditu longiorem sententiam prorsus accipiat, praesertim in hujusmodi rebus, quarum una fortasse omissa mortem, non vitam, perniciem, non remedium, comparet et praebeat? Sed ne forte sensus ita fractus jam non totus conspiciatur, pronominibus usus est Marcellus sicut vinculis vel cardinibus, eo pluribus quo plura jam essent in sententia membra et fragmenta. Crescit et augetur, prout sententiae deminuuntur, pronominum usus; quorum altera sequentem partem praenuntiant, altera praecedentem commemorant. Quanto minus pronominibus utebantur, ut ceteros omittam, vel Cicero cui parvae curae erat, si pluribus lineis subjecto verbum anteponeretur, aut postpositivum jaceret! vel Seneca, qui ita exsolutis scribebat sententiis, ut aegerrime nonnunquam, cum singularum sensus esset clarissimus, totius loci tamen tenor et mens et quo vergeret tenderetque, appareret! Plurimum prosunt ea pronomina in sermonibus *analyticis* nunc appellatis, qui medii positi sunt inter illos qui quasi corpore stant immani, et illos qui non jam sententias habent, sed potius disjectarum membra sententiarum esse videantur.

Inde fit — haec est illa secunda res digna quae in lucem proferatur — ut frequentissima consuetudine vulgata tritaque et contusa pronomina paulatim quadam ex parte in adverbia mutata sint. Nam, quom continuus

pronominum sit usus, quomodo vel quis possit illis semper et in quibuslibet vocabulorum juncturis uti, neque unquam nisi grammatice scribere? Multiplicabuntur soloecismi, vel contentione maxima sermo laborabit. Quid ergo? videsne quanto praestiterit, si cujuslibet pronominis in casibus obliquis usurpati locum tenuerit immutabile adverbium? Sic gallice *en*, *y*, *dont*, *où* scribuntur et dicuntur, ita ut vulgus pronuntiet *j'y dirai* pro *je lui dirai*. Quae consuetudo jam tum quom scriberet Marcellus profecto nata erat, Marcellumque sine dubio testem habuit; quin et *sic* pro casibus cunctis pronominis demonstrativi recepit, quom ceterum *unde*, *inde*, *ibi*, *illic*, *ubi* plerumque diceret pro diversis pronominibus in locativo, vel instrumentali, vel ablativo casu positis. Quonam pacto *ex illa* in *inde* transmutatum est? Marcellus et ipse nos edocuit. Nam contra Ciceronis et Caesaris et ceterorum optimae tempestatis auctorum consuetudinem, pronomina generis neutri, etiam in casibus obliquis declinavit, dicens:

ejus, ei, eo,

non semper, ut Cicero:

ejus rei, ei rei, ea re,

quom casus recti *id* fuerint. Sic, v. g.:

p. 74, 8: *lacertas... ad tenuissimum pulverem redigito, atque* ex eo... *oculos inunge.*

p. 76, 31: *pulei flores destringe, ...atque* ex eo *panni partem line.*

p. 46, 4: *rutae fasciculum et sulphur vivum cum vino vetere simul decoque, et caput* ex eo *lava.*

p. 169, 24 : *haec omnia ad vaporem soluta miscentur, et... tolles* ex eo *uncias VI, et addes* illic...

quibus cum pronominibus haec licet conferri :

p. 72, 2 : *mellis despumati* aliquid *ac vini.*
p. 74, 4 : *cum* pausillo *vini.*
p. 76, 28 : aliquid *mellis.*
p. 77, 2 : *sapae* modicum.
p. 176, 17 : *asparagorum radix ad pondus denariorum duorum et brassicae folia* tantumdem *mensurae contrita.*

Sed,

p. 235, 27 : *gallas quantas volueris*, pro *quantum.*

Ita genus detractum erat, evadebantque pronomina in adverbiorum formas, fiebatque ut talia plerumque scriberentur[1] :

p. 43, 20 : inde *caput lavari oportet.*
p. 46, 16 : inde *cum opus fuerit caput unge.*
p. 52, 16 : inde *illines.*
p. 52, 25 : *ne quid* inde (vere genetiv.) *destillet.*
p. 54, 7 : inde *capillos illines.*
p. 64, 28 : inde *collyria formantur ex aqua.*
p. 66, 16 : inde *oculos fovebis.*
p. 67, 2 : inde *exprimes.*
p. 68, 4 : inde *oculi suffundantur.*
p. 72, 22 : inde *inunguntur.*
p. 75, 17 : inde *collyria facies.*
p. 82, 31 : inde *inunges.*
p. 82, 33 : *oculos* inde *albugine occupatos... circumlines.*
p. 87, 25 : inde *inducito.*
p. 90, 12 : inde *collyria facies* (p. 90, 23 et 28 : atque ita *collyria formabis*).
p. 91, 2 : inde *collyria formabis.*

[1] Jam T. Livius quidem : « *Inde oriundus erat* » pro *ex eo*, gallice : *de lui ;* Terentiusque : « *Inde major,* » gallice : *l'aîné des deux ;* sed rarissime ac populariter scripserant. Paulatim autem, « vergentibusque annis, » vulgaris cotidianusque sermo sine dubitatione in scribendis libris usurpatus est.

p. 92, 21 : *collyria* inde *formabis*.

p. 94, 7 : inde *infundes*.
p. 94, 8 : inde *dilues*.
} quo clarissime apparet quomodo ablativus et genetivus inter se commixti sint.

p. 95, 2 : inde *instilletur*.

Item reperias *inde* cum *irrigare*, *eluere*, *inficere*, *fricare*, *dare*, *curare*, *contingere*, *gustare*, *devorare*, etc. Cf. etiam exempla haec :

p. 178, 28 : *cribrabis, atque* inde *cocleare unum cum uno cocleari mellis et aquae calidae cyathis duobus jejuno ad diem dabis* (nonne hic vere genetivi locum tenet adverbium *inde ?*).
p. 197, 23 : *dantur* inde *coclearia*.
p. 201, 10 : inde *pars sexta decedat*.
p. 295, 13 : inde *cocleare accipitur*.
p. 230, 23 : *de lupi praeda... pellem vel os collige... et quando aliquis jecur doluerit,* inde *eum tange*.

(Hic *inde*, ut cetera demonstrativa pronomina, aliquid antea dictum simpliciter commemorat.)

p. 267, 27 : inde *cum opus fuerit dabis*.

(ubi *inde* sine controversia duobus verbis, scilicet *opus fuerit* et *dabis*, subjectum est ; nam si alteri tantummodo subjectum esset, commemorandum fuisset ante alterum, secundum constantem Marcelli consuetudinem). Plurima ejusdem modi exempla referre licet, quibus sane comprobatur adverbium *inde* jam pronominis demonstrativi loco inscribi, casuumque genetivi et ablativi et instrumentalis, brevius dicam, omnium in quaestione *unde?* quae dicitur, usurpatorum pronominum in locum successisse. Item, sed, ut arbitror, *ἅπαξ*, ineunte sententia, *unde* pro *inde*, conjunctivum pro demonstrativo accipitur :

p. 227, 20 : *haec ...tundes et ...cribrabis* : unde, *jejuno cocleare ...dabis.*

Haud aliter in ceteris locativis casibus Marcellus usus est ; namque in quaestione *quo?* talia notavimus:

p. 166, 30 : *ova cruda duo in calicem verguntur;* eo *adjiciuntur, etc.,*

et saepius in quaestione *ubi* talia:

p. 69, 13 : *limaces tere in mortario, et adjice* ibi *ovum, et tingue* illic *lanam...*
p. 73, 5 : *ros colliges et in ampullam mittes, atque adjicies* illic...
p. 84, 4 : *oculus sinister intincto* illic *specillo inungatur.*
p. 161, 33 : *aquam in ollam rudem mittes atque addes* illic...
p. 169, 25 : *tolles ex eo uncias et addes* illic..., etc.

Immo *sic*[1] in locum *hujusmodi*, quod saepe *tale* significat, succedit :

p. 256, 9, et pass. : *ad calculum expertissimum remedium* sic :
p. 291, 19 : *Epithematium ad ventrem stringendum* sic : etc.

Jam pridem *tantum gratiae* pro *tanta gratia* fuerat admissum: adeo in dies cesserunt pro adverbiis adjectiva!

Marcellus igitur, ut dictum probatumque est, primo nomina vel sententias semper commemoravit, ita ut nullus subauditus sit genetivus vel figura quaelibet[2], veteremque consuetudinem (a qua Cicero plerumque recessit) *Deus amat virum bonum illique favet* semper ipse servaverit; tum ad commemorandas figuras non

[1] Semel *sic* miro modo *pourtant*, ut olim in Gallia *si*, significat : p. 372, 2 : *podagram ut sanare difficile est,* sic *incipienti occurrere promptum est.* Cf. jam Quintil. pass.
[2] Cf. tamen (Scrib.) p. 187, 10 : *Post mortem* Ti. Caesari *data est,* et p. 123, 7 : dentes *cinis impositus sanat.*

solum pronominibus usus est, sed etiam et fere saepius demonstrativis adverbiis. His autem non casuum nec generum nec numerorum species, sed rerum antea dictarum quasi simplex referebatur memoria.

Nunc tertia res recognitione digna est, quom ille nunquam — quod gallice dicitur *attraction* — casus nec genera nec numeros mutaverit, observandae studens menti potius quam grammaticae :

p. 40, 28 : *ad vertiginem capitis*, quam *Graeci scotoma vocant.*
p. 49, 25 : *cepe longum*, quod *ceputius nominatur.*
p. 97, 14 : *et quia semper acida sunt* (*mala*), *rhoas oxias* haec *Graeci diçunt.*
p. 117, 5 : *zonam* quam *Graeci herpeta dicunt.*
p. 127, 3 : *veratrum*, id *est bulbus*, quod *est genus cepae.*

Majori usui fit neutrum genus [1], prout sermo senescit philosophicisque magis adulteratur verbis. Porro nunquam apud nos vel saltem rarissime variatur adjectivum aut pronomen prae articulo ac nomine positum :

vu *les décrets*,
j'ai vu *les décrets*, etc. :

sermo ad loquendum, non ad scribendum natus nullam nisi antea dictorum vocabulorum servat rationem. Quomodo igitur prius mutetur aliquid, quam mutationis causa cognita sit? Nempe sermone Marcellus locutus

[1] Cf. Salvian. (gente Gallum, Marcelloque aetate paulo recentiorem), *Gub. D.*, IV, 14. 65 : « *Injusti sunt Barbari, et nos* hoc *sumus* ; » gallice : « *Nous* le *sommes.* » Quam ob rem doctissimus vir G. Boissier in hujusmodi latino sermone Gallicum sermonem jam nasci animadvertit (*Fin du Paganisme*, t. II, p. 419, n.).

est qui eo magis caperetur a legentibus vel audientibus, quod non modo libris sed colloquiis jam notus foret et tereretur.

Sed, ut ad simpliciores res veniamus, notare licet nonnullas sententias, quibus optimorum scriptorum leges aut violantur aut violari quadam ex parte videntur: v. g.:

Quis non mehercule mendose, sed solute satis, pronominis *aliquis* locum tenens in sententiis hujusmodi:

p. 51, 9 : *quod si totum ipsum* quis.
p. 70, 6 : *oculos quom dolere* quis *coeperit.*
p. 161, 14 : *si de tussi stomachum* quis *dolebit.*
p. 251, 32 : *ex ea parte, qua* quis *nesciam patitur.*
p. 277, 30 : *si* quis *morsus.*
p. 307, 33 : *si de reste ventrem circumcinxeris de qua* quis *laqueo vitam finierit.*
p. 309, 29 : *sed, dum utetur* quis *hoc praeligamine, abstineat venere.*
p. 322, 25 : *quom* quis *purgatus fuerit.*
p. 352, 23 : *radi oportet, prout* quis *pati potuerit.*

Contra:

p. 321, 32 : *sed si magis* aliquis *alvum citare voluerit.*
p. 106, 12 : *si* aliquod *animal intraverit.*
p. 121, 4 : *quom os* aliquis *inde collueril.*

Quibus in cunctis sententiis, *quis*, ita usurpatus ut τίς a Graecis, maxime scribitur ubi gallice *on* reperiretur, nullo facto discrimine utrum *si*, *cum*, *prout*, juxta positum sit, an plura vocabula conjunctionem inter et pronomen intersint. Quod prisci Latini minime ignorabant; sed crescit jam, scribente Marcello, usus pronominis qui in pronomen *on* postea transcriptum est. *Sic nata consuetudine, verbum deficere non poterat.*

Semel hoc repperimus :

p. 82, 7 : *folium caulis primo mane cum* suo sibi *rore... teneatur.*

Semel *nos* pro *Romanis* scriptum est :

p. 86, 20 : *herba quam Graeci sarcocollam,* nos *argemoniam appellamus.*

Singulariter haec dicuntur :

p. 257, 27 : *mense novembri ante idus* easdem.
p. 87, 5 : *digitis quinque manus* ejusdem cujus *partis oculum sordicula fuerit ingressa.*
p. 111, 33 : *quod ad aurem ejus partis dici oportet* de qua *nare sanguis fluit.*

Illic *ejusdem partis cujus* clarius fuisset; hic *cujus* pro *de qua*. Quae per imprudentiam scripta esse facile videntur. —Subaudita *parte,* neutri generis fit pronomen :

p. 121, 18 : *rosae floris* quod *est luteum.*

— Haec tandem notemus :

p. 163, 4 : *tussem* qualemlibet.
p. 208, 32 ; 211, 27 : *quisquis* pro *quicumque.*
p. 229, 4 : *qualicumque*, Gallice : *quelconque.*
p. 283, 13 : *dabis* cui (= τῷ) *supra bibendum.*
p. 308, 24 : *quantum diligentius* pro *quam diligentissime*, scilicet comparativ. pro superlativ., sicut apud nos *plus* in sec. p. Ch. XVII.
p. 329, 17 et 26 : *quom desederit quis ad sellam et paruerint* totae *haemorrhoides*, fortasse pro *omnes*, Gallice : *toutes.*

Haec omnia de pronominibus notata hoc unum demonstrant, scilicet quotiescumque Marcellus ab usu scriptorum optimorum deerraverit, toties secundum recentiorem gallici sermonis usum deerravisse.

De nominativo nihil dicendum est: sed jamdudum dictum est et probatum omnes paulatim casus obliquos evanuisse, dum aut in accusativum recedunt, aut adjunctam praepositionem requirunt. Nihil igitur mirum, si Marcellus accusativo plus aequo usus est, pluresque ad usus quam priscus sermo patiebatur; v. g., cum accusativo sequentia verba conjunguntur:

dolere : *auriculam, caput, oculos, uvam, jecur, splenem, pedes,* etc. :

p. 251, 9 : *pede* quem *dolet stans.*

laborare : p. 132, 25 : *verticem si quis uvam laboranti mordeat ;*

pati : p. 251, 32 : *qui nesciam patitur ;*

horrescere : p. 278, 7 : *si aeger cibum horrescit* ;

gratulari : p. 107, 7 : *gratulaberis remedium* ;

remediare [1] : p. 34, 33 : *dolorem* ; p. 101, 25 : *surdiginem.*

Hic autem accusativus *graecus* recte ponitur :

p. 165, 18 : *tussire purulentum* ;

p. 166, 13 : *tussire sanguinem* ;

p. 163, 26 : *qui sanguinolentum extussiunt* ;

nunc post *uti* pronomen neutri generis :

p. 212, 7 : *quod mulieres utuntur* ;

p. 202, 24 : *epithematium facies quod multis horis... uti potueris* ;

cum comparativo :

p. 347, 9 : *hoc quantum tenerioribus infantibus feceris, eventu efficaciore proveniet.*

Fit ut post verba quibus praefixa est praepositio quaedam, praepositio eadem, nec raro, subaudiatur :

[1] Legitur et pass. : *gargalizare aquam ;* gallice : *employer en gargarismes de l'eau.*

p. 38, 29 : *fronti fimum illine*; cf. p. 39, 4 et 10.
p. 67, 6 : *nares infundes* ;
p. 77, 4 ; 87, 12 : *oculum fuerit ingressa* ;
p. 87, 1 : *oculum intraverit* ;

atque etiam, p. 310, 15 : *coli dolores evadet*.

Haec contra post *opus esse*, potius dicam *prae*, in nominativo, sicut *opus*, posita sunt :

p. 40, 31 : *quod cum opus erit* ;
p. 311, 6 : *si viro remedium opus fuerit* ;
p. 379, 31 : *cum autem opus fuerit medicamen*, etc.

Pariter cum praepositionibus interdum pro ablativo accusativum reperias ; fuitque, ut opinor, Marcello usus anceps et dubius :

in : p. 215, 24 : *mittes in doliolum* ; cf. pass.
p. 285, 3 : *in pyxidem condes* ;
p. 287, 22 : *lapidibus in lac demersis* ;
p. 380, 15 : *quibus in ordinem praeparatis* ;
p. 240, 30 : *in ventrem jacere*

sed, cum ablativo :

p. 164, 15 : *in calice diffundes* ;
p. 243, 11 : *in aceto infunde* ;
p. 334, 33 : *in vase remittitur* ;
p. 167, 1 : *intromisso in vase* ;
p. 208, 30 : *inducuntur in panno* ;
p. 69 { 20 : *in chartam virginem scribe* ουβαιx ;
p. 69 { 23 : *si in charta virgine scribas* ...φυρφαραν.
sub : p. 175, 33 : *sub lingua pone* ;
p. 300, 11 : *potio... sub noctem... sumpta* (Pl.).
super : p. 72, 19 : *capilli muliebres super testam combusti* ;
p. 105, 11 : *haec mixta super aquam... despumabis* ;
p. 138, 20 : *herbae super mundam tegulam combustae* ;
p. 234, 29 : *quae... liquefacta in mortarium super trita infunduntur*.

Manifestum est casus, praesertim apud provinciales — quibus magis deerant traditi ab antiquis Romanis

mores — paulatim evanescere, ultima syllaba vix pronuntiata, atque in accusativum saepe contra jus grammaticorum recedere.

Genetivus, ut diximus, nunquam subauditur, sed, ut in sermone nostro particula *de*[1], multo largioris est usus:

pro tempore : *catellus septem dierum*[2], gall. : *de sept jours* ;
pro loco : *dolorem non patieris ejus loci*[3] ;
tinnitus aurium[4] ;
pro magnitudine : *paulo olei coctas*[5] : gallice : *un peu d'huile*.
pro genere vel specie : *omnia quae pulveris sunt*[6] ;
compressas feminae vulvas[7], gall. : *de femme* ;
adversus gravitatem audiendi[8] ;
pro materia : *lomentum fabae mollitae*[9] ;
serpyllum decoque et ejus aqua oculos fove[10] ; gallice : *avec son eau* ;
pro dativo : *radicis corticem detrahito*[11] ;
pro dativo *commodi* : *maximae utilitatis esse creditur*[12] ; gallice : *d'une grande utilité*, etc.

Genetivum partitivum dilexisse videtur Marcellus, quom, p. 154, 28, ubi scripserat Scribonius :

idem... purgat mulierem si qua ex parte sordida resederint ;

correxit Marcellus (nisi forte per imprudentiam scriptum est):

idem... purgat mulierum *si qua ex parte sordida resederint;*

quod, ut videtur, fere sine intellectu transcriptum est. Cf. :

[1] Jam apud pseudo-Plinium frequens. — [2] P. 83, 35. — [3] P. 351, 2. — [4] P. 98, 31. — [5] P. 210, 29. — [6] P. 365, 37. — [7] P. 118, 12. — [8] P. 101, 13. — [9] P. 373, 6. — [10] P. 85, 19. — [11] P. 299, 31. — [12] P. 104, 20.

p. 360, 17 : Scrib. : *idem pondus*,
Marc. : *idem ponderis*.

Idem casus sic exprimitur, semel quidem :

p. 295, 35 : *et* de lana *ovis quae a lupo occisa fuerit, ad ventrem suum alliget*.

quae est Gallica locutio : *de la laine*.
Haud rara est hujusmodi junctura :

p. 283, 12 : *adjecto polentae quantum sufficiat*,

sed non nunquam haec reperiuntur :

p. 57, 15 : *medicamen solutum aliquantulum melle ;*
p. 229, 27 : *adjecto melle quantum sufficiat*.

Hic,

p. 238, 20 : *rubiam dabis bibendam amplitudine nucis*,

quasi diceretur *brachiali amplitudine*, admodum gallica est locutio : *de la grosseur d'une noix*. — Nunc, neglegentia videlicet, scripsit :

p. 275, 1 : *vini Falerni vel similis hujus sextarios singulos*,

quom facile scribi potuisset *huic* pro *hujus*, vitato eo genetivo qui genetivum alterum sequeretur ; nunc cum genetivo numeros recepit discrepantes, contra legem usumque plurimorum dicens :

p. 307, 31 : *si de lacertarum caudis summitatem tuleris*.

Ceterum, haud multa de genetivo casu notanda sunt ; nam ut pronomina in genetivo posita praeteream, quae potius in dies plura fiebant, casus ille mox periit,

praepositionibusque diversis, sed praepositione *de* potissimum, expressus est.

Dativus *commodi* etiamtum, non in longum, supererat; sic:

p. 37, 27 : *cerebrum cibo sumptum.*
p. 46, 28 et pass. : *aliquid potui datum*, pro *bibendum*, gallice : *à boire.*
p. 52, 13 : *crispando capillo compositionem.*
p. 52, 20 : *capillis nigrandis infectio optima.*
p. 110, 5 et pass. : *remedio adhibitus.*
p. 111, 5 : *ejus cui nares fluunt.*
p. 150, 20 : *bene faciunt discutiendis strumis.*
p. 180, 14 : *Soranus CC hominibus hoc morbo laborantibus curandis in Aquitania se locavit.*
p. 187, 5 : *compositio, non ignorata quidem antiquioribus medicis.*
p. 235, 8 : *ut liquori huic vessica major sit* [1].

Nec minus et dativi crescit usus proprii, qui gallice praepositione *à* expressus est, ita ut non forma jam appareat, quae est praepositio *ad* cum accusativo conjuncta, sed plane saltem *syntacticus* usus dativi in eo sermone qui noster est.

De ablativo casu hoc in primis notandum est, saepissime sublatas esse eas praepositiones quae ab optimis scriptoribus pro necessariis habebantur; verbi gratia, quod ad quaestionem *ubi* pertinet, etiamsi haec poetarum more scripta omittamus: *tere mortario*, pro *tere in mortario*, quibus veri similius instrumentum significatur, saepius sine praepositione scripsit Marcellus, nec, mea quidem sententia, absurde; quippe,

[1] Haec ex proposito omisimus : p. 209, 21 : *liquabis igni*, gallice : *au feu*, et p. 274, 11 : *vino nigro potum*, gallice : *au vin rouge*, ubi nescio an ablativus casus, non dativus, receptus sit.

quom: *natus sum Athenis* satis clare diceretur, quid opus erat, nunc praepositionibus adjectis, nunc casibus simplicibus, ad ea distinguenda quae nullo modo distinctionibus egerent ? Jamque Cicero ipse et Caesar *loco* vel *die* vel *nocte* nonnunquam simpliciter dixerant; nunc Marcellus consuetudinem eorum libere secutus est, scribens:

p. 49, 18 : *atque illis diebus quibus gargarizas abstinebis liquamine.*
p. 69, 19 : *eo tempore quo Kal. solis die fuerint.*
p. 69, 1 : *lacertum sane eodem loco in quo ceperis dimittes.*
p. 70, 1 et 12 : *ne anno perpetuo lippias.*
p. 134, 7 : *ovum loco clause abscondatur.*
p. 205, 10 : *haec vaso decoquuntur.*
p. 208, 24 : *claude auro.*
p. 210, 6 : *ita ut adverso pectore cujuslibet pueri tepefactum ponatur.*
p. 210, 29 : *cocleas paulo olei coctas.*
p. 251, 9 : *ita ut pede uno quem dolet stans*, etc.

Vertitur in ablativum quicquid olim legibus de locativo casu parebat, proque *instrumento* [1] jam *locus* habetur : quae fuit, ut ita dicam, ultima syntheseos victoria, nec diu superfuit, quando quidem brevi submersus hic cum ceteris obliquis casibus loco cessit, praepositionibus jam exprimendus. — Mire hic servatus est ablativus:

p. 60, 18 : *non sine ceteris auxiliis*, abstinentia *dico.*

contra hic accusativus:

p. 198, 18 : *constat ex his* : semunciam...

[1] P. 91, 18 : *Sic pulvere uteris*, gallice : *en poudre.*

Adjectiva interdum sicut in sententia *virtus et vitium contraria*, neutri fiunt generis:

p. 39, 11 : *herba strumus et stercus contrita... abolent,*

sed,

p. 111, 8 : *projecta pice et aceto.*

et,

p. 274, 1 : *ex aceto et melle in unum mixto.*

Ad summam verba atque adjectiva plerumque proximum nomen sequuntur, casus verbo proximo serviunt:

p. 111, 30 : *pollicem et medicinalem digitum.*
p. 110, 22 : *medium cinges eum, vel eam, quae patietur.*
p. 233, 35 : *piperis denarios tritos.*
p. 234, 2 : *sinapis et pyrethri paria pondera ex aceto trita,*

passimque adjectiva cum mensuris, non cum rebus grammatica conjunguntur. Raro scribitur:

p. 133, 10 : *digitis medicinali et pollice.*

Immo, saepe sine ulla justa causa, neque ullo modo veterum imitatione, pro *quom* vel aliis conjunctionibus usurpatur conjunctivum pronomen, eumdem sequens casum quem substantivum proximum :

p. 219, 1 : *post horam quam hoc feceris.*
p. 224, 6 : *magnitudine qua supra.*
p. 305, 17 (Scr.) : *ante diem quam poturus est.*

Et revera durum et asperum illic videtur positum esse adverbium.

Nunc hoc libenter de casibus usurpatis contenderim, quom nondum casuum formam, ut gallice, amitterent praepositionibusque exprimerentur, tamen ita jam esse mutatos ut facillime in gallicum sermonem transcribi possent; ita:

p. 299, 31 : *radicis corticem detrahito,*
Gallice : *enlevez l'écorce d'une racine,*

per dativum casum olim expressum esset, difficiliusque transcriptum. — Sed longius jam processum erat; neque in eo solum erat sermo ut paulatim tanquam evolveretur, sed jam maxima ex parte erat immutatus; nec jam facilius ab alumno repertae essent gallici sermonis *praepositiones*, sed ipsae expressae erant; *translatori*que non erat transferendum, sed plerumque simpliciter transcribendum.

Etenim praepositionum in dies crescebat usus; nec mirum : nam quo rarius scriptores casibus utebantur, eo saepius illis admittendae erant praepositiones : amisso uno loquendi modo *non deficit alter*, sed avellere et renovare hic longius est quam de ramo illo aureo quem pius Aeneas, requirebat. Quidquid id est, haud supervacuum erit, si, qui fuerit praepositionum jam tum factus usus, vel quae maxime reciperentur, vel quo sensu, perspiciamus.

Primum singulariter exprimitur plerumque instrumentum vel modus, nec Latinorum prisco sermoni nec posteriori Gallorum congruenter; hic est usus praepositionis *ex*, qua designabatur apud veteres materia corporis cujuslibet, v. g. : *vas ex auro*, subaudito plerumque *factum* vel *fabricatum*. Sic Marcellus :

p. 63, 3 : *conficiuntur ex aqua* ;
p. 64, 29 : *formantur ex aqua* ;

item, post *finguntur*, *factus*[1], etc. Paulatim si-

[1] Scribitur et : p. 28, 19 et 21 ; 350, 19 : *dolorem factum ex perfrictione.*

gnificabatur per *ex* et materia igne transfigurata :

p. 45, 25: *cinis ex*[1] *ossibus agnorum recte adhibetur,*

quod et per genetivum simpliciter dicitur :

p. 113, 3 : *cinis testarum ex ostreis*[2] ;

tum id quo aliquis ad perficiendum aliquid utitur :

p. 65, 8 et 29 : *temperare ex*[3] ; p. 64, 28 : *permiscere ex* ;
p. 66, 16 : *fovere ex* ;
p. 66, 33 : *lavare ex*[4] ; item post *madefacere.*
p. 38, 27 ; 74, 8 et 10 ; 83, 35 ; 87, 18 ; 88, 7 : *ungere, perungere, inungere ex* (raro *de* : p. 65, 21) ;
p. 70, 11 ; 82, 34 : *illinere, circumlinere ex ;*
p. 142, 17 : *gargarizare ex vino* ; saepius *vinum.*

Denique liquor in quo remedia aut calido aut frigido dissolvuntur :

coquere ex[5] *aceto, vino,* etc. : p. 34, 28 ; 100, 2 ; 105, 27, etc.
decoquere ex (raro *cum* : p. 98, 17) : p. 24, 45 ; 94, 6 ; 103, 3 ; 111, 21 ;
terere ex[6] *aceto, aqua, suco* : p. 62, 32 ; 76, 2 ; 98, 3 ; 86, 1.
conterere ex : p. 33, 29 ; raro *cum* : p. 99, 1 et 8 ; 100, 8 ; 195, 23.

Inde, subauditis verbis diversis :

p. 41, 21 : *vettonicae fasciculus ex aqua mulsa potatus* ;
p. 42, 7 : *ovis ex vino et mulso et cedria pruritum tolli manifestum est* ;
p. 44, 36 : *semen rafani tritum et ex aqua adpositum* ;
p. 45, 1 : *porrum contritum et ex melle impositum* ;
p. 46, 27 : *scobes limatae et ex vino potui datae* ;
p. 51, 3 : *et pulverem illum ex oleo vetere imponas*;
p. 148, 34 : *haec dabis bibere ex aqua calida.*

Scriptores autem optimae aetatis tantummodo *vas ex auro* absolute scribebant ; nunc materia quaelibet, sed

[1] Gallice : *de.*— [2] *Ex ostreis* vere pro genetivo ponitur.— [3] Gallice : *de.* — [4] Gallice : *à.* — [5] Gallice : *à.* — [6] Gallice : *avec.*

et omnis generis adjumenta per praepositionem *ex* enuntiantur, brevius dicam, pro genetivis atque ablativis omnibus *ex* ponitur : *cinis ex ossibus; cinis testarum ex ostreis; testae ostrearum:* quid jam prodesse videntur casuum illorum formae simpliciores ?

Ne multa, ita usurpatur *ex*, ut praepositionis *de* locum plerumque teneat, quae sola in gallico sermone [1] superfuit. Hanc autem haud saepissime scripsit Marcellus, qui alteram praetulisse videtur; cf. tamen:

α. materia : ossa de persicis [2], *suco de betae radice* [3], *sucum de allio* [4], *suco de moris* [5], *suco de terebinthi fruticibus et foliis* [6], *fomenta de farinis* [7], *pulverem de ipso costo* [8], etc.

β. instrumentum : perungere de melle [9], *extinguere de lacte* [10], *de canna occidere* [11], *suspendere de licio* [12], *fieri de permixto* [13], *de reste circumcingere* [14], *tundere de ligno* [15], *superlinere de pinnula* [16], etc.

γ. unde : glandes de robore [17], *prendere de lacu* [18], *sanguis de loco pinnarum* [19], *corticem de fraxino* [20], *laborare de uva* [21], *granorum de malis* [22], *farinam de faba* [23], *destillare de* [24], *fluere de* [25], *lanam de inter femora* [26], *de sub ventre* [27], etc.

δ. Pars : partes de denario [28], *de medicamine si succenderis* [29], *de hoc aliquid* [30], *quod de his liquefactum fuerit* [31], etc.

Adde et : *de nocte* [32], gallice : *de nuit*. Quare fit ut tribus [33] modis pariter exprimantur, exceptis dativis commodi ac proprio, fere omnes casus obliqui, quibus

[1] Verisimiliter quia ante *de* non admittebatur elisio : Cf. *mais* pro *ains* apud nos servatum.

[2] P. 37, 11. — [3] P. 37, 20. — [4] P. 40, 26. — [5] P. 108, 22 ; 134, 30. — [6] P. 108, 31. — [7] P. 135, 6. — [8] P. 147, 11. — [9] P. 63, 21. — [10] P. 90, 25. — [11] P. 242, 1. — [12] P. 202, 25. — [13] P. 296, 11. — [14] P. 307, 33. — [15] P. 340, 6. — [16] P. 377, 19. — [17] P. 45, 15. — [18] P. 83, 5. — [19] P. 82, 37. — [20] P. 106, 24. — [21] P. 135, 25. — [22] P. 296, 9. — [23] P. 184, 10 — [24] P. 104, 11. — [25] P. 112, 29 — [26] P. 36, 29. — [27] P. 311, 12. — [28] P. 122, 10. — [29] P. 58, 7. — [30] P. 125, 17. — [31] P. 137, 6. — [32] P. 69, 16. — [33] Quatuor, si accusativum sine praepositione (cf. p. 91) adjeceris.

scilicet plus aut minus designatur unde quodque fiat : quod in Gallorum recenti sermone per praepositionem *de* unice expressum est, id in libro Marcelli vel genetivo, vel ablativo cum *ex*, vel ablativo cum *de* explicatur, nullo, ut videtur, discrimine habito; profecto, si praepositione utendum esset, praepositio *ex* omnium optima esse videbatur, utpote cum antiqua consuetudine maxime congruens. Quare usu praepositio *de* praelata sit, incertum ; an quia, consonanti ineunte, minus pronuntiatione contrita magis audiebatur. *Sic futuro sermoni suum demonstrabatur iter*. Quod autem, de casu eodem, ad pronomina demonstrativa spectat, *inde* omnia exprimit ; quod ad conjunctiva, *unde ;* gallice : *en*, *dont*. Dativus in eisdem pronominibus *illic* et *ubi*, gallice *y* et *où*, fit ; de ceteris cum periphrasi dativis jam videamus.

Quem casum, vel quidquid ad quaestionem *quo* pertinet, si gallicum sermonem intueamur, praepositio *ad*, gallice : *à*, significat : porro scripserat Marcellus :

α) Pro instrumento :

p. 169, 23 : *ad vaporem solvere ;*
p. 30, 34 : *ad ignem solvere ;*
p. 31, 1 : *ad ignem liquidare ;*
p. 72, 2 : *ad ignem agitare*, etc., gallice : *à la vapeur, au feu.*

β) Pro loco (*ubi ?*) :

p. 66, 30 : *ad angulos perfricare ;*
p. 65, 24 : *superpone ad lotium versus*, gallice : *frotter à, superposer à...*

γ) Pro tempore :

p. 276, 12 : *ad vesperam dare*, gallice : *au soir.*

δ) Pro dativo *commodi :*

p. 212, 30 : *ad claritatem optimum* ;
p. 50, 1 : *ad alopecias (positum)*, gallice : *bon à, mis à...*

ε) Pro modo :

p. 37, 25 : *ad instar collyrii* ;
p. 93, 30 ; 108, 22 : *decoquere* vel *terere ad levitatem, ad spissitudinem mellis* ; etc.
p. 265, 5 : *ad pulverem redigere*, gallice saepius: *en* ; cf. p. 108, 30 : *tritis in spissitudinem mellis*. Gallice quoque : *réduire à la consistance.....*

Adde et multas locutiones, magnitudinem quamdam significantes :

ad fabae magnitudinem [1], *ad medias* [2], *ad dimidias* [3], *ad medietatem* [4], *ad tertias* [5] ;
ad heminam [6], *ad cyathum unum* [7], *ad mensuram juxta vires cujusque* [8].
ad integrum [9].
ad hoc tantum ne [10]..., etc. [11]

Concludendum est igitur, ne de minimis [12] curemus, ad hoc, inscium quidem, delapsum esse scribentem Marcellum, ut casus obliquos ita deformaret, ut : 1° quam

[1] P. 125, 5. — [2] P. 130, 18 ; 146, 23. — [3] P. 26, 3 (Scr.). — [4] P. 157, 33. — [5] P. 34, 20 ; 48, 33 ; 54, 22 ; P. 169, 21 : « *ita ut ad tertias coquantur, hoc est ut simul universa ad trisextium veniant.* »
[6] P. 160, 21 ; p. 161, 19. — [7] P. 164, 6. — [8] P. 278, 21. — [9] P. 51, 11. — [10] P. 367, 25.
[11] N. B. praepositionem *ad*, quotiescumque postpositum est substantivum, participiumque in *-ndum* epitheti gratia, semper juxta substantivum esse appositam : p. 62, 29 : *facit ad tumorem sedandum ;* Cf. pass.
[12] V. g. saepius scribuntur *intra* (p. 51, 17 ; 66, 7) ; *supra* adverbii locum tenens (p. 108, 30 ; 169, 4 ; 275, 10 : *ut supra scriptum est*), *inter* (p. 69, 20 ; 327, 29) pro instrumento positum (p. 89, 17 ; 148, 34, etc.). *Extra*, rarissimum explanatur sic : *forinsecus*, p. 195, 21. Denique praepositioni adverbio factae mera praepositio facile juxtaponitur, p. 275, 10 : *ad supra dicta*.

saepissime accusativis uteretur, pro ceteris obliquis casibus; — 2° ceterorum casuum, qui plus aut minus ei, quae questio *unde*? gallice appellatur, responderent, per genetivum aut praepositiones *ex* et *de*, gallice unice: *de*, exprimerentur; — 3° qui cum quaestione *quo*? aliquid commune retinerent, ii per praepositionem *ad*, gallice : *à*, quam maxime (rarius tamen quam pro rebus superius dictis) redderentur. Ad summam, multo magis quam antea hoc percipimus, quoad Marcellus gallice in Gallia, latine locutus, scripserit; namque et in Italia Hispaniave casus perierunt, sed in libro Marcelli sic perierunt, potius dicam mutati sunt, ut in sermone nostro maxime, non Italico Hispanove posthac sunt recepti.

De *vocibus* in verbis multo pauciora, gravia tamen dicenda sunt; namque et intransitive multa usurpantur secundum gallicum usum, contra latinum, ut :

persanare, p. 66, 17; 101, 21; *succurrere*, p. 103, 3; *ignorans*, p. 173, 21; gall.: *ignorant*. *coquere*, p. 280, 3, gallice: *cuire*. *lavo*, p. 66, 29; *excoquere*, p. 284, 26 (Pl.); *suffundere*, p. 103, 3; *benefacere, si, quod, ad*, pass., gallice fam. : « *fait bien*; » — *bene accipere*, p. 119, 25 (Scr.), gallice fam. : « *prend bien*; » — *decoquere* [1], p. 367, 29; 368, 4, etc.; — *siccare* [2], gallice: « *sécher*, » p. 184, 17; 353, 3 [3]; — *lactare*, p. 242, 1, intransitivum Ausonius recepit, *Epitaph.* 32 : « *infans lactavit, pubes et virgo adolevit;* » etc.

[1] Cf. Columell, I, 8, et XI, 1 : « *cum... neglegentia jam res ipsa domino decoxit.* »

[2] Cf. Caton. *RR.* 112; Apic. 3, 18, etc.

[3] Contra *decoriare*, p. 352, 24, transitivum tunc saepe fuit: Tertull. *Anim.* 33, Palladius aequalis *decoriato* ipse ut Marcellus usus est, *II*, 15, ac postea in *Ital. Mich. II*, 8.

Hic plerumque aut pronomen *se* subauditum est, aut nomen facile restitutum, sicut :

persanare (aegrotantem) ;
ignorans (quae cognoscenda erant) ; etc.

quae familiari jam antea sermone accepta, magis magisque in dies in libris inscripta sunt, recentioribusque sermonibus in consuetudinem venerunt.

Tum passiva vox pro media vel reflexa habetur :

p. 39, 32 : *se tondeat* pro *se tonderi jubeat* ;
p. 117, 22 : *se absolvere*, pro *absolvi* [1] ;
p. 158, 22 : *radices rumicis minutae ejus, quae per campum se sternit* ;
p. 360, 28 (Scr.) : *congelaverit se adeps* ;
p. 380, 17 : *permiscere se.*

Ita vicissim scripta sunt :

congelatur adeps.
congelat se adeps, gallice : *se congeler.*
congelat adeps, gallice : *geler.*

Saepe, secundum legem, passiva vox sic usurpatur, ut infinitivo accusativus aliquis subjecti partes agat :

imponi (non *imponere*) *oportet farinam* ;

p. 32, 26 ; 43, 20 et passim ; contra, nec rarius, infinitivum sine subjecto ponitur, secundum illum qui postea Gallis fuit mos, ut :

p. 43, 19 : *caput oportet lavare.*
p. 335, 13 : *prodest et illud pice liquida* perunguere *et sic introrsum* repelli.
p. 70, 15 : *faciem tuam ex aqua fovere curabis,*

[1] *Absolvere se* frequentius legitur post Tacitum, rarius antea, videturque popularis esse sermonis : Cf. Sall. *Frag. orat. M. Licini trib. pleb.* ; Cic. *Rosc. com.*, 12 ; Tac. *Ann.* IV, 23.

etc. — Bis, nisi fallor, gerundium accepit Marcellus cum sensu vocis passivae, haud aliter atque in hoc Lucretiano :

annulus in digito subtertenuatur habendo,

τῷ ἔχεσθαι, non τῷ ἔχειν ; sic :

p. 335, 28 : *quod diu agitando miscetur* (Pl.) ;
p. 352, 2 : *auro fervente circuitus urendo designatur* (Pl.).

— Etiam hoc afferemus : p. 41, 5 et passim : *expertum est*, passivo sensu.

Horum omnium exemplorum, quom cetera parvi sint, maxime memoranda sunt ea verba, quae paulatim absoluta fiunt vel perfecta. Namque illa apud nos sunt plurima: facillime, subaudita figura, fit intransitivum e transitivo, proque certa figura facillime habetur incerta : severiores erant prisci Latini, apud quos *transitivum* dictum erat verbum cui necessario casus aliquis subjectum esset, istudque accusativi casus. Ceciderat lex, tempore atque usu dissoluta. Sed nonne mirum est nunc pronomina accusativi casus facillime subaudiri, eadem casuum obliquorum difficillime, maxime contra veterum consuetudinem? Obsistunt, jamjam perituri, casus obliqui.

Temporibus satis convenienter usus est Marcellus sic, plerumque post *dum* retinetur in indicativo praesens tempus, interdum haud sine ulla novitate :

p. 151, 22 : *perduces, dum dicis.*

Cf. p. 160, 28 ; 215, 1 ; 364, 2 ; 380, 1 ; rarissime haec vel talia reperias :

p. 139, 25 : *sed, dum* prendes *araneam vel phylacterium* alligas, *ter in terram spues* (nonne *prendis* legendum potius sit ?).
p. 309, 29 ; *sed, dum utetur quis hoc praeligamine, abstineat.*

Nec minus merus est post conjunctionem *si* temporum usus :

p. 218, 10 : *bibito, si laborabis.*
p. 278, 30 : *prodest lac, si non febricitabunt,*

etc. Nullum inde posterioris in Gallico sermone usus percipitur vestigium, scilicet nunc nunquam, post *si* conditionem significans, aliud accipitur tempus nisi praesens indicativi aut imperfectum aut denique plus quam perfectum.

Passim inter se permiscentur imperativi praesentia et futura :

p. 33, 21, sqq. : *inline... inducito... perunge.*
p. 76, 30 : *destringe, madefacito, contere,*

etc. : p., 52, 21 ; 67, 29 ; 54, 19 ; 243, 14. Nunquam scribitur *fac, dic, duc.* In his tamen locis aliquid prisci sensus enatavit :

p. 47, 36 : *et, cum dormitum ibit... potui dato.*
p. 218, 10 : *bibito, si laborabis.*
p. 259, 32 : *misceto et dabis,* etc.

Ceterum nihil, ut videtur, interfuit inter futurum tempus pauloque post futurum ; vide :

p. 263, 20 : *dato... absolves* ; *dato... juveris* [1].
p. 309, 28 : *in pede dextro, si dextra pars corporis colo* laborabit; *aut in sinistro, si ibi causa* fuerit.

[1] Revera per *juveris* aliquid novi significatur, v. g. *cito, propere, celeriter juvabis* ; quod et antea scriptum reperias.

p. 368, 17 : *quae tundenda fuerint tundes*; p. 369, 11 : *quae tundenda erunt, tundes.*

Item *opus erit*, p. 368, 33, et 369, 33 ; *opus fuerit*, p. 369, 13 ; ita ut nulla sit, in compositis formis, differentia formarum praesentium praeteritarumve verbi *esse* ; quae permixtio ab prisca consuetudine plane abhorret. Jamque apparent, ut gallice, tempora vocis activae composita :

p. 297, 15 : *haec omnia tundes et cribrabis, miscebis et reposita habebis...* ;

item, p. 220, 18, sed in formula quadam :

Tres virgines in medio mari mensam marmoream positam habebant.

{ p. 289, 2 : *torminosus manducet, cito sanatus erit*[1] ;
{ p. 288, 34 : *jejunus bibat : continuo sanabitur.*

Inde fiebat ut paulatim, confusis inter se praesentibus et praeteritis, praesentia simplicibus formis, praeterita compositis exprimerentur ; vel potius simplicia tempora simpliciores exprimebant sensus, composita compositos. Adverbium suo loco scriptum hoc quoque perficit, ut formae temporum simpliciores paucioresque fierent :

p. 52, 1 : *eoque medicamine glabrum locum perfricet, ita ut prius diu linteo asperiore* detergeat. *Prius detergeat* pro *deterserit.*

— Hoc ἀορίστου γνωμικοῦ exemplar rarius, sine adverbio, exstitisse videtur, poetis quidem exceptis :

[1] Semper, fateor, sed rarius, *vulgo* sine ullo discrimine ponebatur *ero* vel *fuero*, *eram* vel *fueram*, *sanatus erit* vel *sanabitur* ; Marcellus autem abutitur.

p. 120, 6 : *Pyrethri quoque radix commanducata multorum levavit dolorem,* nisi forte *multorum* pro adverbio positum est.

Denique, in medicinalibus formulis vel rationibus, passim reperiuntur praesens indicativi modi, futurum ejusdem, praesens aut futurum imperativi, quandoque omnia inter se permixta :

p. 130, 2 : *quibus rebus dentifricium egregium facies quod dolorem dentium sedat, eosque confirmat,* etc.
p. 207, 20 : *tamdiu haec decoques quamdiu herbae arescant, postea colantur et additur cerae libra.*
p. 278, 30 : *prodest torminosis lac potum, in quod... ferrum candens demissum fuerit, si tamen non febricitabunt.*

Semel, p. 369, 35, participio praesente praeteritum significatur :

Potio... quam pridie non coenanti per duos menses... dabis.

Modica erit conclusio : sine dubio permiscentur inter se temporum simpliciores formae; unde sententiae, jam obscuriores factae, illustriores compositasque formas requirere videbantur, sicut mox evenit; nihil ultra.

De *modis* praecipua haec nota erit, quod valde verborum *modis auxiliarium* crescit numerus : id est, saepissime post verba quaedam tollitur infinitivi subjectum ; praesertim post verba haec, contra scriptorum optimorum consuetudinem, infinitivo praeposito : *facere*, *permittere*, *curare*, *prodesse*, *compellere*, *dare*, *habere*, *consuescere*, *praecipere*, etc., quae omnia gallice nunc cum infinitivis per praepositiones *de* aut *à* aut sine praepositione ulla conjunguntur ; *jubere* in oblivionem paene cecidit. *Licere* rarius admittitur ; nam,

quom scripsisset Scribonius : « *Licet et hinc catapotia facere propter eamdem causam,* » Marcellus neutiquam, ut videtur, verum sensum verbi *licet* intellegens, conjunctionemque esse arbitratus, addidit : *utile sit*, quod cum cetera sententia quadam ex parte congruit : *sed tunc aquae mel adjicitur* (p. 155, 9). Notandum quoque est, quoties figura verbo *dare* quibusdamque aliis anteponitur, non infinitivum, sed participium in *-ndum* potius usurpari :

p. 222, 8 : *cyathos dabis bibendos* ;
p. 228, 29 : *gentianam bibendam dabis* ;
p. 235, 33 : *succum da bibendum* ;

modo figura ne longius ante posita sit : sic in adjectiva evadunt verba vel *attrahuntur*. — *Debere* atque *oportet* cum infinitivis pro simplice futuro ponuntur :

p. 56, 14 : *sed omnes has species mittere debebis* ;
p. 118, 9 : *ulcera cicatricem ducere oportebit* ;

sed non adeo ejusdem modi verba auxiliaria multiplicantur, ut inde praevideri possit quo modo postea futurum tempus *condicionalisque* modus expressi sint. Tantum maximus verbi gallici *faire* conjectatur usus, verbique *jubere* nescio quam ob causam exstinctio.

Frequenter in medicinalibus formulis confunduntur inter se — adeo ut, modo quodam posito, sententia aliter atque incepta est claudatur, —

1° Imperativus conjunctivusque modi :

p. 342, 31 : *coque et bis ad diem impone, sed ante vino vetere locum qui curandus est eluas.*

2° Imperativus vel conjunctivus cum indicativo; poniturque *non* prohibitionis causa pro *ne :*

p. 39, 17 : *ossicula tertius non contingat ;*
p. 252, 4 : *non bibat.*
p. 345, 28 : *saponem non abluat,*

quod apud scriptores optimae aetatis, sed rarissime, non plerumque et tanquam ex consuetudine reperias ; — aut, post conjunctivum pronomen, conjunctivus modus pro indicativo :

p. 47, 11 : *ita ut in balneo, in quo nunquam* lavit *nec* lauturus sit, *in solio remedium accipiat* ; gallice : « *où jamais il ne s'est baigné, ni ne se* baigne *par la suite.* »
p. 30, 14 et pass. : *sumetur quantum satis sit* [1], etc.

Item, post conjunctionem *si :*

p. 34, 17 : *compescit, si perfricetur ;*
p. 37, 30 : *sanantur, si perfricetur* [2], etc.

Potuit quidem fieri ut per *si*, *dummodo*, gallice : *pourvu que*, significetur; nihilominus usus iste paulo ab optimorum scriptorum consuetudine abhorret, et Marcellus ipse interdum aliter scripsit :

p. 35, 22 : *adfiges... nisi non decident ;*
p. 111, 25 : *si sanguis defluit,... obturabis ;*
p. 120, 20 : *si quando movebuntur, erunt.*

Ob eamdem causam videlicet saepe servatur indicativus earum sententiarum, quae sententiis et ipsis

[1] P. 41, 1 ; 52, 14 ; 94, 7 ; 101, 30 ; 117, 37 ; 118, 31 ; 122, 18, etc. Contra, p. 94, 23 : *quantum satis est, infunde* ; p. 99, 12 : *aceti quod satis erit, mittes*, etc.

[2] P. 51, 9 ; 52, 30 ; 57, 4 ; 69, 23 ; 71, 31 ; 111, 18 ; etc. Saepius conjunctivum ponitur, si prioris verbi futurum tempus est : p. 123, 6 : *sedabit, si quis masticet...*

subjectis, verbumque habentibus in infinitivo vel conjunctivo positum, subjunguntur :

p. 106, 16 : *ita servatur ut, quom opus* est, *infundatur.*

Servatur et indicativum post imperativum quoddam :

p. 52, 29 : *admisceto nardi quantum satis videbitur,* sed, p. 52, 21 : *stercus, quantum sufficiat mitte.*

Post *sive* interdum, ut gallice post *soit que,* conjunctivus ponitur :

p. 80, 31 : *medicamen barbaricum ad omnes oculorum causas, sive* sint *scabri, sive...*

p. 114, 6 : *statim cohibebitur, sive viro de naribus, sive mulieri...* fluat.

Legitur, p. 65, 21 : « *dolores qualiter curare debeas,* absolute positum, subaudito videlicet *disce* aut *accipe;* quae est insueta sententiae forma apud Marcellum.

Denique, p. 69, 30 : « *(medicamentum) lippitudinem sedat, si* in faciendo ac suscipiendo *praeligamine castimonia ab utroque servetur.* » Gallice : *en faisant;* sed vicinius foret gallico sermoni exemplum, si *praeligamen* positum fuisset.

Igitur, exceptis quae ad ampliorem infinitivorum usum pertinent, secundum Gallicam consuetudinem, nihil aut fere nihil de modis notandum est ; namque omnia de formulis dicta momenti sunt ad generalem conclusionem minimi.

Conjunctiones ita legem sequuntur, ut sermoni lux quam maxima allata sit ; verbi gratia *quamvis* passim pro *quantumvis* accipitur, juxtaque adjectiva vel adverbia positum est :

p. 74, 16 : *quamvis crassas caligines cito disculies*, etc. [1].

— *Donec* et similia saepe ex antecedenti adverbio clariorem tenent sensum :

tamdiu... donec; p. 72, 3 ; 88, 6 ; 90, 32 ; 97, 25 ; 100, 9, etc.
tamdiu... quousque; p. 72, 6 ; 276, 31 ; 375, 11, etc.
eo usque... donec; p. 94, 18.
tamdiu ut ; p. 363, 25.
tamdiu quamdiu, p. 169, 13 ; 291, 10 ;
quo usque donec, p. 233, 7 ; etc.

Raro *donec* vel *quousque*, sine antecedenti ponuntur (p. 97, 30 ; 103, 10; 49, 15) ; sine dubio paulatim pro *donec* accipitur *quousque*, gallice : *jusqu'à ce que*. — *Ut* similiter antecedentia habet, pro adverbio *ita*, pronomina :

p. 49, 2 : *in linteo ligatas ad hoc ut...* ;

contra, quom consequentia quaedam significatur, fit ut solum *ut* scribatur :

p. 41, 26 : *diebus decem bibito, sed ut herbam quotidie mutet.*
p. 115, 2 : *tunicula... ut haerescat imprimitur.*
p. 168, 18 : *sulpur dabis... ut transgluttiat tres pilulas prima die, secunda II, tertia I.*

Denique *ut* pro infinitivo ponitur :

p. 66, 28 : *si quis observet ut...*
p. 121, 34 : *et hujus medicamenti similis est usus sicut superioris, ut sicco pulvere gingivae..... tangantur.*

Sed et *quod*, sicut apud nos, ibidem :

p. 66, 14 : *voto prius facto... quod eo anno cerasia non sis manducaturus*,

vel etiam *quia*, sicut in Vulgata, sed rarius :

[1] P. 104, 8 ; 106, 5 ; 111, 12 et 24 ; 241, 22 ; 289, 28, etc.

p. 317, 6 : *eamdem vim quam veratrum habet, nisi quia paulo remissior est.*

— Cetera parvi sunt : scilicet *dummodo* ante adjectivum, subaudito verbo :

p. 73, 30 : *ficus etiam veteris, dummodo pinguissimae* ;

si non pro *modo ne* (p. 256, 14) ; conjunctivus modus, subaudita conjunctione, post *oportet :*

p. 294, 26 : *dejiciat oportet.*

Haec omnia rarissima. Sed saepissime subaudiuntur eae conjunctiones, quibus sententiae inter se junguntur, praecipue inter duo adjectiva, immo duo participia, quorum fateor alterum nonnunquam alteri reipsa subjectum est ; passim reperitur hujusmodi *asyndeton :*

fabam in aquam prius maceratam, postea in vino decoctam tritam bene illinat fronti, pro *decoctam terat atque illinat.* Item, vel similiter :

p. 37, 32 : *cupressi bacas virides in vino decoctas tritas adponat.*

p. 63, 16 : *vino Chio non salso austero.*

p. 73, 19 : *et, decocta prima aqua effusa*, quod est pro : *et decocta quae primum effusa est aqua.*

p. 121, 7 : *cornum cervinum combustum tritum.*

cf. p. 135, 10 ; 143, 18 ; 146, 1 ; 174, 17 ; 247, 33 ; 168, 22 ; 362, 22. Sic olim Romae : *patres (et) conscripti.*

Rarius inter verba fit *asyndeton*, propterea quod hic verius est *asyndeton :*

p. 233, 32 : *consparguntur fiunt.*

Sed *anacoluthum*, ut fit si familiariter loquantur homines, saepius neque uniusmodi, reperitur :

p. 193, 26 : *potio ad dolorem..., sed facit.*
p. 197, 18 : *hiera ad stomachum confirmandum, movet interdum ventrem, conficitur sic.*
p. 207, 6 : *ad calculosos et ad dolorem.*

Cf. p. 175, 28; 220, 21 ; 301, 6 ; 349, 32.

Ita, de conjunctionibus, omissis *gallicismis* paucis, familiaris consuetudinem sermonis maxime notamus ; namque Marcellum constat ad hoc scripsisse ut legeretur et quam plurimis prodesset ; quapropter et multas admisit *locutiones*, quibus facilior fieret intellectu libellus ; neque hoc nomine has appellabimus, quae jamdudum usui erant, et quidem scriptoribus optimis, v. g. vitari *abstracta* quae dicuntur nomina :

p. 43, 10 : *felle vituli caput perunctum lendes exterminat.*
p. 256, 7 : *summitatem veretri vel imum ventrem.*
p. 339, 24 : *bestiolas, quae contactae pilulam de se faciunt.*

sed, p. 376, 14 : *teneritudo ejus* pro *tenera pars ejus.* Item *per se* pro *solus*, vel etiam cum *solus* ponitur :

p. 195, 18 : *succus per se sumptus.*
p. 73, 10 : *solum per se.*
p. 327, 2 : *per se solus.* Synonymum, p. 99, 33 : *seorsum.*

Sed familiariter usurpatur, sicut apud nos *mais,* in graeco sermone γέ :

p 210, 29 : *cocleas, sed veras africanas* ;
p. 362, 10 : *sevi taurini, sed veri,*

gallice : « *mais du vrai.* » — Miscentur inter se adjectiva et genetivi casus :

p. 75, 22 : *fel ursinum atque hyenae*, et pass. ;

— comparativa singulariter passim scribuntur :

p. 331, 15 : *in locis verecundioribus* ;
p. 105, 34 : *gravius audire* ;
p. 367, 30 : *herbae, quae minoribus foliis est* ;

— jamque pluribus in locis novae sententiarum structurae notandae sunt :

p. 309, 6 : **anulus fit de exusta tunica texta auro** ;
et p. 110, 19 ; 173, 3 ; 292, 24 (Scr.), etc.

At hoc maxime debemus attendere, quom Marcellus ita voces disposuit, quasi *articulos* sermo latinus jam graeci sermonis instar recepisset, seu utilitatis causa quo magis niteret sententia et luceret, seu nescio qua graeci articuli commemoratione facta ; sic apud Marcellum talia legimus :

p. 145, 15 : (τὸ) *pingue laridi* ;
p. 169, 4 et pass. : *adde* (τὸ) *supra dictum pondus* ;
p. 206, 19 : *ad* (τοὺς) *sanguinem tussientes* ;
p. 216, 4 : (τούτοις) *qui patiuntur dabis* ;
p. 275, 10 et pass. : *ad* (τὰ) *supra dicta* ;
p. 293, 33 : *dantur* (τοῖς) *robustae aetatis septem* ;
p. 296, 11 : *potiones de* (τῷ) *permixto fiunt* ;
p. 308, 28 : *pastillos* (τῷ) *coli dolore laboranti*, etc., etc.

Ovidium fateor hac licentia usque ad extremum usum esse, cum sic cecinit :

« ...*Duris*
Mollia certabant, (τοῖς) *sine pondere habentia pondus;* »

sed unicum fuit hujusmodi exemplum, dum Marcellus eadem facit plurima. Revera videtur articulus, jam redivivus, locum sibi selectum servatumque jamjam esse occupaturus. Quod Marcellus, credo, non prospi-

ciebat, sed nonnunquam ita scripsit, velut quadam ex parte praesentiret; atque haec, quae nunc de articulis contendimus, facile in multis de Marcello quaestionibus vera esse reppereris.

Stilum in libello Marcelli nullum fuisse libenter asseruerim : unum hoc voluit, facillime intellegi. Sed currente calamo scripsit, parvi faciens, si praefationem exceperis, omnes omnis modi figuras vel translationes vel sententias inversas; nec tamen huic inest illa simplicitas qua delectantur ii qui de scientiis doctrinisque scripserunt. Non ex proposito nec cum labore simplicitatem quaerit ; sed voces imprudens collegit, non elegit, adeo ut saepe voci pravae meliorem juxtaponeret, nec pravam deinceps auferret. Quapropter haec passim legere est : *id est*, *hoc est*, *quod est*, nulla facta *attractione,* quom sic nihil aliud ac correctio quaedam exprimatur. Sed quo manifestius Marcellum liberius molliusque scripsisse demonstremus, duas hasce inspiciamus sententias, quibus unum idemque remedium bis describitur, sine studio quoquam vel repetendi vel vitandi semel dicta verba, usurpatasque juncturas :

Cap. 25, 21 ; p. 249, 29.

Incredibile et unicum remedium sciaticis et arthriticis hoc est, quo et ipse Ausonius medicus sanatus est, et multos, ita jacentes ut movere se sine cruciatu nequirent, intra quinque stare, ambulare autem intra septem dies fecit ; conficitur sic :

Cap. 34, 67 ; p. 353, 17.

Invictam potionem ad sciaticos et arthriticos facientem in titulo superiore de sciaticis plenissime scripsimus, sed quoniam < tam > divinus ejus effectus est, iterandam putavi, ne quis arthriticis remedia requirens hujus ignoratione fallatur :

Fimum ibicum luna septima decima colliges,

Quanquam et alia luna vetere collectum simili efficacia prosit ;

dummodo medicamen septima decima luna componatur ;

ex eo ergo fimo quantum unius manus pugno pleno potueris comprehendere,

dummodo impar sit numerus pilularum,

in mortarium mittes,

atque adjicies piperis grana XXV diligentissime trita, tunc addes mellis optimi heminam

et vini veterrimi optimi sext. II et contritis prius pilulis universa miscebis et repones in vasculo vitreo, ut, etc.

sed, ut major sit efficacia, luna septima decima illud facere debebis et cum daturus fueris remedium,

a die Jovis incipe

et per dies septem continuos dato,

ita ut qui remediandus est stans in scabello contra orientem bibat.

Quae potio, si ita, ut scriptum est, data et observata fuerit,

etiam si omnibus articulis et coxa

infirmus contractusque fuerit

et immobilis ac desperatus jacuerit,

necesse est,

ut septima die ambulet.

Fimus ergo ibicis in silva vel in monte colligitur, si fieri potest, luna XVII ;

sin res urgebit, quocumque die colligitur ;

sane XVII luna medicamentum fieri oportet, quod sic facies :

fimum ejus, quantum pugno pleno tolli poterit,

dummodo pilulae impari numero sint,

conteres validissime ad summam levitatem,

tum piperis grana XXV addes et mellis heminam et diu teres ;

dehinc vini veteris adjicies sext. IIII et conditi more miscebis potionem ;

sane qui accepturus est

ex die Jovis

diebus septem continuis

accipiat ;

etiamsi omnibus ossuum compaginibus

adfectus et contractus

jacebit,

intra dies septem ita sanabitur

ut nunquam paribus doloribus implicetur.

Ex quibus locis collatis apparet eadem esse :

1° dativum *commodi* atque accusativum cum *ad;*

2° pluralem et singularem numerum in genetivo post substantivum quoddam in singulari ;

3° futurum activum et praesens passivum in medicinali formula ;

4° futurum simplex et paulo post futurum ;

5° *comprehendere* et *tollere ;*

6° *per dies septem continuos* et *diebus septem continuis;*

7° *necesse est ut ambulet* et *sanabitur.*

Ad hoc, in prima sententia remissior fluit sermo, diffusus atque abundans, nec tamen plura in sententia inclusa sunt, adeo ut plane constet, neque ibi solum, quam verbosus natura sit ille Burdigalensis, scribendae orationis admodum rudis, aptissimusque ad loquendum longius, etsi nihil longius requirebat occasio. Revera stilus nullus est, nec si stilum solum inspicias, dignus est ille qui Marcello quempiam locum inter scriptores latinos praestet et conferat. Nequaquam hinc quaerendum est quam ob causam curam posterorum recte retineat ; libenter enim diceremus illum, ut illam *Molerianam* personam a qua « sermone pedestri diceretur imprudenter », recte locutum esse imprudentem atque inscium ; qua ex parte minimo dignus esse videtur studio, quandoquidem plurimi alii latine scientes locuti sunt, et melius et rectius atque elegantius et verius. Non illa quae bene, sed ea quae pravius scripsit majoris in eo sunt momenti. Nam Gallice imprudens scripsit, paene dicam, locutus est ; inde, neque ex proposito, nobis demonstravit quo pacto, Theo-

dosio regnante, in Gallia jam Gallicus fieret Latinorum sermo. Hoc est Gallici potius quam Latini sermonis amatori cura dignum, hic labor, haec quaestio ; et, quom maxime omnium libere ac remisse ille scripserit, ex libello illius maxime perspici potest quae facta sint, quae fierent eo tempore, quom, labente paulatim imperii Romani vigore et potentia, laberetur et ipse sermo latinus, latinique sermonis vera lux ac prisca integritas

CAPUT V.

QUI DENIQUE LOCUS MARCELLO INTER SCRIPTORES LATINOS TRIBUENDUS SIT.

Quom haec jam certa sint, Marcellum utilitatis, non voluptatis vel decoris et famae causa scripsisse, nec quidquam attendisse, nisi ut tradita colligeret, collectaque quam clarissime depingeret, facile suus illi inter ceteros ejusdem temporis auctores locus est, ita ut inter eos nullum admodum sibi proximum habuerit. Namque, etsi multis litteris ornatus est, egitque aetatem in urbe omnium pro illis temporibus politissima, ususque est amicitia verisimiliter, clarissimorum virorum, cum doctrina, tum ingenio pollentium, denique paene admodum servaverit leges grammaticae temporisque in loquendo consuetudinem; tamen, aliis de causis curam diligentiamve posterorum movere debuit. Hoc certum est, si librum perlegerimus, doctrinam grammaticorum ei parvi fuisse, paulatimque in sermonis quotidiani morem illum esse delapsum. Neque ita mirum, quom circum scholas post adulescentiam parum assiduus fuerit, sed rem publicam gesserit multisque functus sit publicis muneribus; ceterum, non schola solum abstinuit, sed et litteris, quandoquidem multa fortasse perlegit percurritque, sed nulla, ut arbitror, scripsit praeter libellum *de Medicamentis;* postremo

libellum hunc, ut diximus, currente calamo absolvit, non perfecit. Quom igitur stilum saepe verterent, librosque et carmina summa cum diligentia expolirent vel Ausonius, vel Paulinus, vel Rutilius, vel alii plurimi, classicorumque leporem ac romanam urbanitatem venerarentur, Marcellus nihil conatus est, nisi ut libellum proximis utilissimum reconderet. Adde quod, in hujusmodi opere adjutores sane non deerant; namque et Scribonium versabat saepiusque transcribebat, et Pseudo-Plinium ipsum Plinii Secundi imitatorem, ac supererat optimorum studiorum veterisque disciplinae memoria, postquam clarissimas illas Burdigalensium scholas assidue coluerat. Quod si litterarum parvam, dum scribit, curam retinuit, saltem in illo inerat, utpote optimis artibus exculto atque enutrito, ex quo pure recteque quadam ex parte scriberet. Non ita, in praefatione, barbare imperiteque locutus est, dum, quod in libro ipso defuit, circa curam sermonis versatur, attentoque animo in latinitatem incumbit. Sed, quom elegantiam plerumque omnem neglexisset, ita factum est ut eo magis Gallice scriberet, quo minus latinitatis studium retineret, paulatimque ad Gallicam in loquendo consuetudinem relaberetur. Eamdem ob causam, nulli aequalium plane similis est.

Ausonius enim, paulo quidem antiquior, sicut Marcellus majorem aetatis partem apud imperatores egit, summis ornatus dignitatibus, Burdigalaeque diu senex vixit; sed magister praeceptorque, idem et exquisitus facilisque et lepidus poeta, nunquam a litteris recessit: sive *Parentalibus Commemorationique Professorum* Burdi-

galensium studeret, sive acueret *Epigrammata*, sive *Mosellam* Rhenumque inviseret suavissimoque versu caneret, sive, ut enumerationi finem faciam, *Epistularum* libros componeret, ille semper et ubique scriptoris recipiebat partes ; ne in describendis quidem piscibus et sideribus Musarum obliviscebatur, nec veterum exemplarium, Ovidii scilicet et Catulli, quorum imitationem sedulo persequebatur. Neque a christianorum disciplina abhorruit ; sed, nomine tantummodo et specie christianus, diligentior Musarum atque Apollinis erat amator, quam ut litteras religioni postponeret ; carminibus lusit, avena tenuissima.

Lusit et Paulinus, affinis ejus, Nolensisque posthac episcopus ; immo christianam sedulo doctrinam secutus est ; proximos et dilexit, caritate, ut episcopum decebat, Christi instar, praeditus ; at rhetorum discipulus diligentior, conversusque ad lyricos cantus, *panegyricos* psalmorumque imitationes composuit, stilo admodum levi et florenti, sed ita florenti ut eum diutissime paganis studuisse manifestum foret. Horatium ille secutus est, cujus quidem ingenio carebat stiloque faceto, versus tamen metris imitabatur, scilicet, quoad poterat, Æolios Sapphus Alcaeique modos, quandoque veram reperiens mentem, quotiescumque verum pateretur affectum. In Ausonio ingenium, in Paulino mollitudo animi quaedam eminebat.

Et Severus Sanctus Endelechius, Romae quidem — Burdigalae verisimiliter natus - de morbo pestilento scripsit; sed bovinam tractat luem, et, nedum in animo habeat remedia vel causas requirere, poema edidit lepi-

dum et venustum, lyrico versu scriptum, sed juxta Vergilianum Lucretianumque exemplar; ceterum Paulini amicus episcopo ingenioque Paulino similior, cum poetis qui ad canendum cecinerunt minime conferendus est, etsi ibidem eodemque tempore scribens, noster Marcellus.

Nec minus a Sulpitio Severo distavit : qui sacerdos christianus in Aquitania *Chronica* condidit, diligentissime ex optimis veritatem hauriens fontibus, et grammaticam optimorum scriptorum secutus ; sed, licet simpliciter, ut rerum scriptoris est, historiam scripserit, tamen saepius apud optimos versatus est, accuratiusque priscorum temporum legit vestigia, quam ut Marcelli instar, non quidem praeceps, sed pronus in posterorum sermonem laberetur : hic plane dignus est qui inter optimos habeatur.

De Q. Julio Hilariano, quid dicam, nisi quod minime defuit illi ingenium, neque inter *imitatores servum pecus* numerandus est? sed barbarico more et scripsit et composuit, ita grammaticae sermonisque Latinorum oblitus, ut vix Latinus fuisse reputetur. Quod si, gallice et ipse haec aliaque ejusdem modi edidit : « *Consummavimus hoc laboriosum opus in die III non. Mart.* etc., » tamen licentiam Marcelli auxit ipse prius atque exaggeravit, quem inter et ceteros Marcellus optimam sedem obtinuit, minus, fateor, gloriosam honoratamque quam sedes priorum fuerunt, sed sede novissimi longe honestiorem.

Atque hoc ego sine ulla dubitatione confirmaverim, etsi *latiniorem* quam Hilarianus libellum scripsit, plura

tamen ab illo lectorem de Romano in Gallia temporum illorum sermone edoceri. Quippe Marcellus, non ita a Musis abhorrens, vulgo potissimum et popularibus scripsit suis ; sed quo tandem sermone usus est? Utrum, ut Gregorius Turonensis vel Fredegarius, novas secutus leges, memoriam latini sermonis potiusquam sermonem ipsum retinuit ? An, quom Gallicam Celticamque linguam didicisset, contaminatione quadam ab utraque recessit ? An vero his declinationum generibus rationibusque usus est, quibus paulatim Gallorum recentiorum sermo constitit ? Minime, mehercule ; et tamen gallice locutus est, gallicam quadam ex parte linguam antecepit.

Si quidem in sermonibus duo haec, sicut in quacumque re, discernenda sunt, *materia* scilicet et *forma*, haec ad aures ceterosque sensus, illa ad mentem atque intellectum spectans, sensibusque paene intacta, hoc profecto contenderim, *materia Marcellum vere fuisse, ut gente, Gallicum.*

Quo significatur sine dubio hunc a Gallo recentiore quodam, latini sermonis ignaro, minime posse intellegi, vel non multo magis quam Cicero aut Livius aut Seneca possint; sed si quis Latinas edoctus litteras ex latino in gallicum sermonem paginam quamlibet transferre voluerit, hoc certissimum est, Marcelli sermonem facillime transferri, verbo paene per verbum quodque expresso. Nempe haud aliter cogitavit vel cogitationes expressas disposuit ac Galli posthac soliti sunt; eadem in illo inerat lucis cupido et lucidi ordinis, eadem verborum plurium quam justiorum series , eadem

luminis afferendi numero verborum potius quam dili-gentia. Inde tot illae sententiae ubi articulus vix desideratur et requiritur, adeo clare apparet ubi et quo modo inter ceteras voces ponendus sit! Inde tot praepositiones casibus paulatim in locum succedentes, interdum plus aequo disseminatae, sed ubique, ut videtur, positae quo magis majorique lumine sententia tota pelluceret ; inde haec plurima synonyma, quibus recognitis nulla fieri posset erratio; inde et haec antecedentia pronomina rarissime subaudita, etsi nihilominus poterat sensus percipi, quae, sicut signa hic atque illic legenti proposita, viam, ut ita dicam, apertissime demonstrarent, erroremque facerent rarissimum ; inde conjunctionibus quoque antecedentes conjunctiones ; et longissima haec vel verba vel nomina quibus aut praefixae aut suffixae particulae sensum utrimque praecidebant, ac multimodis strictiorem significabant; atque illa verba, quae nunc *modis auxiliaria* dicuntur, in dies multiplicata, quae *modorum* sententiam in aperto ponebant nec jam eam licentiam dabant lectori ut in inspiciendo verbo vel falleretur vel haereret. Et, quod mirabilius est, lingua sic adulterata non tamen mutata est radicitus, sed felicissime variata, lectoribusque in dies pluribus factis prorsus accommodata. Jam gallicus *màteria*, ut diximus[1], sermo est, ad gallicum recentiorum temporum vergit; sed *forma* latinus est, et soloecismis carens, et barbarismis nullis, nisi forte pro barbarismis accipiendus sit unus et alter lapsus, aut nonnullae

[1] Cf. p. 124.

vicinorum sermonum voces, doctrinae causa receptae. Rectus et purus, non elegans quidem, sed culpa solutus sermo hujusce libelli subsistit.

Quo tandem omnia haec brevius complectamur, Marcellus usus est sermone quodam magis, ut gallice dicitur, *analytico*, *synthetico* multo minus quam sermo priscis fuit Romanis; cui rei, ut omnia quae sentiam aperiam atque eloquar, duplex causa fuit; una, quod, universis sermonum legibus parens, sermo latinus jam eo effusior fiebat quo magis aetate procedebat, eoque velocius quo, magis magisque in vulgus oculos vertebant scriptores, magis magisque ea agitabantur cura ut a quam plurimis legerentur; — altera, quod Marcellus ipse, christianorum doctrina impulsus, hoc in animo habebat, ut quam plurimis auxilium atque opem ferret. Quidnam inde accidit? Sermonem in libello *de Medicamentis* reperimus, et solutiorem perinde ac ceteras per imperii partes, et diffusiorem prout Marcello ingenium erat, utpote Gallo et Christiano. Quidquid id est, ille inter Romanos haud minima ex parte noster est. Hujuscemodi simplicitatem notamus, hujuscemodi ingenuitatem, inanem loquendi profluentiam ac redundantiam, in veterrimis rerum gestarum scriptoribus nostris, in poetis aetatis illius, quae apud nos *media* vocatur : eadem est, nec sine suavitate quadam, neglegentia, eadem cura nihil scribendi quod a vulgo sit remotius. His, quamvis lingua mutata sit, similior est quam Gregorio Fredegarioque ac ceteris aetatis proximae scriptoribus ; quippe materia, ingenium, animus, voluntas eadem fuit. In libellum ejus

sollertia potius eruditorum quam admiratio vel existimatio litteratorum mota est : quis neget ? Sed, quom tot tantaque veterum opera in aeternum perierint, si quid enatavit, vel minimum ac simplicissimum ac tenuissimum, hoc sine dubio profiteamur non nullius esse momenti, nec, si parvam voluptatem attulerit, nullius doctrinae esse atque utilitatis. De medicina ipsa nihil curavimus ; quae judicata est ab aliis subabsurda superstitionibusque abundantior ; sed liber ipse inter illos plane adnumerandus est, quibus lectores grammaticam per quamdam aetatem observatam facile edocentur, nec eam solum, sed quo pacto ex antiquiore Latinorum sermone sermo noster paulatim formatus ac tanquam natus sit; ille nos Gallos de nostri sermonis historia facit certiores; denique, si quosdam libelli locos inspexeris, hoc etiam admittas, non jucunditatem ipsam plane hinc abesse, si non aliam, saltem eam jucunditatem quam omnes de libro facile descripto perceperunt, populares habente virtutes et vitia, a quodam majorum nostrorum edito, non illo fateor inter ceteros maximo nec magno, sed mentis optimae, calamique ut illis temporibus incorrupti. Quem Latini pro suo debuerunt repetere, Gallis tamen vindicandum proque cive suo retinendum atque habendum.


Vidi ac perlegi.
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
Non. januar. ann. MDCCCXCVII.

Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus :
A. HIMLY.

Typis mandetur :
ACADEMIÆ PARISIENSIS RECTOR,
GRÉARD.

INDEX

PICTAVIAE. — EX TYPIS OUDIN ET Cie



~~[illegible]~~ 1028
Oct 1
CANCELLED

Lm 13.50.5
De latinitate Marcelli in libro De
Widener Library 004840454
3 2044 085 211 159